V. 2 : 3

De poetarum Romanorum doctrina magica

quaestiones selectae

scripsit

Ludovicus Fahz

GISSAE
IMPENSIS I. RICKERI
(ALFREDI TOEPELMANNI)
MCMIIII

BL
25
R38
v. 2:3

OC
R279
v. 2:3

RELIGIONSGESCHICHTLICHE VERSUCHE UND VORARBEITEN

herausgegeben

von

Albrecht Dieterich und Richard Wünsch
in Heidelberg in Gießen

II. Band 3. Heft

Litterarum monumentis uniuscuiusque nationis vel gentis sive eruditae sive incultae perlustratis nusquam non inveniuntur testimonia quibus edocemur quam obnoxii fuerint homines superstitiosi rebus magicis, quantaque apud eos fuerit praestigiatorum artis vis atque auctoritas.[1]) Quam ob rem non mirum est, quod etiam Romani, quos Sallustius religiosissimos mortalium appellat[2]) fidem magiae habuerunt[3]) superstitione quadam capti quam vel poetae saeculorum ante et post Chr. n. primi plane in carmina receperunt.[4]) Quorum carminibus tot locis magicarum rerum memoria exhibetur, ut valde sit operae pretium magiae veterum reliquias congerere congestisque demonstrare, quae fuerit illorum poetarum doctrina magica, praesertim cum in dies plures reperiantur thensauri aptissimi ad spissam tenebrosamque superstitionum silvam si non penetrandam at tamen magis magisque collustrandam: papyros dico magicas. Talium chartarum ad hunc diem servatas habemus has:

1) et 2) papyros Parthey I et II, ed. G. Parthey, *Zwei griechische Zauberpapyri des Berliner Museums* (*Abhandlgn. d. Kön. Akad. d. Wiss. zu Berlin* 1865 p. 120 sqq.).

3) papyrum Lugdunensem J 384, ed. A. Dieterich, Papyrus magica musei Lugdunensis Batavi (Fleckeiseni annal. suppl. XVI 1888 p. 747 sqq.).

---

[1]) Veterum affero Plinium n. h. XXX 1, recentiorum Aug. Löwenstimm, *Aberglaube und Strafrecht, aus dem Russischen übers. von* J. Kohler, Berol. 1897 praefat. p. V sq.

[2]) Catilin. 12, 3.

[3]) Guil. Wachsmuth, *Von der Zauberkunst der Griechen und Römer*, Athenaeum II 1817 p. 209 sqq.; Gu. Rein, *Das Criminalrecht der Römer*, Lips. 1844 p. 901 sq.

[4]) Quod evicit vir doctissimus I. Bruns, *Der Liebeszauber bei den augusteischen Dichtern, Preuss. Jahrbb. CIII* 1901 p. 193 sqq.

4) papyrum Lugdunensem J 395, ed. A. Dieterich, Abraxas, Lips. 1891, p. 167 sqq.

5) papyrum Parisinam bibl. nat., ed. C. Wessely, *Denkschriften d. Kaiserl. Acad. d. Wiss. zu Wien.* Phil.-hist. Class. XXXVI 1888 p. 44 sqq.

6) papyrum *Mimaut du Louvre* 2391 ibid. p. 139 sqq.

Ad nr. 5 et 6 analecta ed. idem vir doctus *Zu den griechischen Papyri des Louvre und der Bibliothèque nationale, Jahresbericht d. K. K. Staatsgymnasiums Hernals* 1888/89.

7) papyrum musei Britann. XLVI ibid. p. 127 sqq.

8) papyrum mus. Brit. XLVII ib. p. 149 sqq.

9) papyrum mus. Brit. CXXI ed. idem vir doctus in eorundem commentariorum vol. XLII 1893 p. 16 sqq.

10) papyrum mus. Brit. CXXII ib. p. 55 sqq.

11) papyrum mus. Brit. CXXIII ib. p. 60 sqq.

12) papyrum mus. Brit. CXXIV ib. p. 63 sqq.

Ad nr. 7—12 inspicienda est F. G. Kenyonis quoque editio: *Greek Papyri in the British Museum, London* 1893 p. 64 sqq.; huius editionis censuram egit U. Wilcken, *Gött. gel. Anz.* 1894 p. 716 sqq. Nonnullas praeterea emendationes invenies apud Gu. Kroll, Philol. LIV 1895 p. 560 sqq.[1])

Quibus subsidiis nisus mihi proposui agere de poetarum Romanorum artificiis magicis. Cum vero omnia complecti non valerem, selegi tractanda duo nec non gravissima, quibus in describendis illorum temporum poetae praecipue versabantur, necromanteam dico[2]) atque amatoriam artem magicam.[3]) Quibus papyrorum carminumque testimoniis adieci locos ex aliorum temporum poetis rerumque scriptoribus desumptos, quos similes satisque idoneos duxi ad materiam quae tractatur illustran-

---

[1]) Gu. Crönert, Additamenta in papyros mus. Brit., *Classic. Rev.* XVII 1903 p. 26 sqq. inspicere nondum potui.

[2]) v. Pauly, *Realencyclopädie* IV 1846 p. 1411 sqq. s. v. Magia; C. Liedloff, De tempestatis, necyomanteae, inferorum descriptionibus, quae apud poetas Romanos primi p. Ch. saeculi leguntur, diss. Lips. 1884 p. 3 et 17.

[3]) v. O. Hirschfeld, De incantamentis et devinctionibus amatoriis apud Graecos Romanosque, diss. Regimont. 1863; Bruns, l. s. p. 194, quorum testimoniis evincitur, quam verum sit Platonis illud (conviv. p. 203 D): *ἔρως δεινὸς γόης καὶ φαρμακεύς.*

dam. Ne quis autem miretur, me Romanorum carmina explicaturum esse vel e graecis posteriorum temporum monumentis, memoria teneat, quam tenax veterum superstitionum omnis ars magica sit, quae ab omni immutatione prorsus abhorreat, quantumque Graecorum religioni et superstitioni debuerint Romani, imprimis poetae.

Sed priusquam singularum artium apparatus atque auxilia inspiciamus, haud inutile est visum pauca praefari de viis rationibusque, quibus omnis magia procedat.

Magi vel homines, qui magorum praeceptis usi magicas res agunt, id spectant, ut, quae supra hominum vires sunt, deorum, imprimis inferorum auxilio adipiscantur. Quod ut assequantur auxiliis utuntur similibus eis, quae pii homines adhibent ad gratiam deorum sibi parandam sacrificia atque precationes offerentes. Et hae ipsae tamquam uniuscuiusque artificii magici partes nobis occurrunt necromanteae atque amatoriae artis magicae actionem contemplantibus. Quibus partibus numquam non accedit tertium quoddam remedium, quo artificium melius perficiatur eiusque vis augeatur; saepius enim fit, ut adhibeatur auxilium aliquod, quo pericula ipsi actioni imminentia prohibeantur et averruncentur, quod Graeci appellant *φυλακτήριον*.

Quibus verbis praemissis rem ipsam adeamus eamque ita instituamus ut primo capite necromanteae actiones contemplemur, capite secundo artis amatoriae magicae apparatus quantum ad sacrificia precationes phylacteria dispiciamus. Quo facto quid ex his duobus capitibus sequatur fusius exposituri sumus in capite tertio, quo opusculum concludetur.

CAPVT I

DE NECROMANTEA

Inter omnes constat quam angustissime magiam cohaerere cum religione.[1]) Quod primo iam obtutu est perspicuum nobis de magiae elemento vel gravissimo quaerentibus, de sacrificio. Ut deorum in cultu omnium efficacissimum esse sacrificium humanum,[2]) ita in arte magica summa vi instructum putabatur. Itaque verisimillimum est etiam a Romanis antiquissimis temporibus homines esse immolatos non solum ad deos colendos, sed etiam ad magicam rem imprimis necromanteam perficiendam. Cuius moris, si non Romae, at tamen in Italia vulgati ipsos Romanos habemus testes.[3]) Certe vel saeculo a. Chr. primo ab Italis gentibus aliisque imperii Romani populis homines esse sacrificatos testatur Plinius, qui nat. hist. XXX, quo libro magicas res detegere sibi proposuit, refert (§ 12): '(anno urbis DCLVII) senatus consultum factum est, ne homo immolaretur, palamque fit, in tempus illud sacra prodigiosa celebrata'. Cum Plinio facit Servius, qui ad Verg. Aen. VI 107 adnotat: 'necromantia vel sciomantia sine occisione hominis non fiebant'. Quibus locis addas Cic. in Vatin. 14: 'Volo ut mihi respondeas tu ... quae te tanta pravitas mentis tenuerit, qui tantus furor, ut cum inaudita ac nefaria sacra susceperis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum extis deos Manes mactare soleas'.

---

[1]) Plin. n. h. XXX 1.

[2]) J. Lippert, *Die Religionen der europäischen Kulturvölker* p. 287 sqq.

[3]) v. J. Marquardt, *Staatsverw.*[2] III p. 193 sq.; P. Stengel, *Kultusaltert.*[3] p. 117, adn. 9. Aliter iudicat G. Wissowa, *Religion und Kultus der Römer* p. 31, 354.

Idem iam inter poetas exhibet Lucanus (VI 710 sq.), cuius Erichtho his verbis inferos obtestatur:

'si quis, qui [1]) vestris caput extaque [2]) lancibus infans [3])
inposuit, victurus erat, parete precanti'.

Quibus cum verbis optime sunt conferendi eiusdem poetae versus de eadem maga dicti VI 556 sqq.:

'Nec refugit caedes, vivum si sacra cruorem
extaque funereae poscunt trepidantia mensae;
volnere sic ventris, non, qua natura vocabat,
extrahitur partus [3]) calidis ponendus in aris.'

Valde nostra interesset scire ad quemnam ritum illae victimae morti sacratae inferisque sint sacrificatae. Sed cum de ea re nihil ex illis locis sumi possit, ad alterum genus sacrificii convertamus, cuius de ratione melius fusiusque edocemur. Praeter homines enim inferis offeruntur animalia una cum liquore varii generis. Hoc sacrificio primus usus est Ulixes Od. XI 23 sqq. Atque hoc Homericum necromanteae exemplum omnibus [4]) notissimum poetae Romani non solum in universum imitati sunt, ita ut perbene Liedloffio assentiri possimus, qui dicit [5]) descriptam manium consultationem 'Homeri auctoritate ... ad sollemnem carminis epici apparatum pertinere', sed etiam in singulis sunt secuti. quod comprobetur his argumentis:

---

[1]) *quis, qui* codd. et Francken, *quisquis* Hosius.

[2]) v. Anthol. Lat. ed. A. Riese I 406, 3 (de sacris evocantis animas Magnorum): 'Pectoris ingenui salientia viscera flammis
imposuit.'

[3]) Pueros a Maxentio immolatos esse prodit Euseb. hist. eccl. VIII 14, 5 et vit. Constant. I 36, a Valeriano hist. eccl. VII 10, 4, a Pollentiano Ammianus Marc. XXIX 2, 17: 'exsecto vivae mulieris ventre atque intempestivo partu extracto, infernis manibus excitis de permutatione imperii consulere ausus est.' Quibus locis adicias Pap. Par. vs. 2579, ubi sacrificatur ἔμβρυον γυναικός. — Imaginem, qua puer a magis trucidatur, invenies apud Furtwaenglerum, *Antike Gemmen* tab. XXV 7; inspicias etiam eiusdem libri vol. III p. 230 sqq. Aliam imaginem eiusdem generis habent Darhemberg et Saglio, *Diction. des Antiqu.* s. v. *Magia, Fig.* 4784.

[4]) v. *P. Vergilius Maro Aeneis Buch VI erklärt von* E. Norden, Lips. 1903, p. 196 adn. 1.

[5]) l. s. p. 3.

Ut apud Homerum[1]) primum terra effoditur:

Hor. serm. I 8, 26 Canidia eiusque ministra:
'scalpere terram unguibus',

Sen. Oed. 550 Creo de Tiresia mortuos vocante narrat:
'effossa tellus',

ib. 564sq.: 'multo specum
saturat cruore',

Stat. Theb. IV 451 idem Tiresias:
'Principio largos noviens tellure cavata
inclinat Bacchi latices',

ib. 502 exclamat:
'Laevaque convulsae dedimus carchesia terrae.'

Valer. Flacc. Arg. I 735 ab Alcimede 'in scrobibus cruor' confunditur ad Cretheum excitandum.

Focis factis[2]):

Stat. Theb. IV 456sqq.:
'Tris Hecatae, totidemque satis Acheronte nefasto
virginibus iubet esse focos; tibi rector Averni,
quamquam infossus humo superat tamen agger in auras
pineus; hunc iuxta cumulo minor[3]) ara profundae
erigitur Cereri',

et incensi igne rogi:

Sen. Oed. 550sq.: 'supter rapti rogis
iaciuntur ignes',

Heliod. Aeth. VI 14 *ἡ πρεσβῦτις ... πυρκαϊὰν ... ἐξῆψε ... τὸν βραχίονα ἐντεμοῦσα*[4]) *καὶ δάφνης ἀκρέμονι τοῦ αἵματος ἀποψήσασα τὴν πυρκαϊὰν ἐπεψέκαζεν.*

---

[1]) Od. XI 25 *βόθρον ὄρυξ'*, quo de usu v. Stengelium l. s. p. 17sq. 26. 121; Lucian. necyom. 9, philops. 14; Heliod. Aethiop. VI 14. Non omittam fossam etiam a Propertio IV 5, 11 et ab Ovidio met. VII 243 in simili sacrificio commemoratam.

[2]) De foco atque igne nihil apud Homerum legitur. Haec atque talia e consuetudine sacrificii sumpserunt poetae omnibus qui tunc erant notissima.

[3]) 'ut coniugi, marito merito humilior' vet. schol.; memineris humiles aras institutas esse inferis, vid. Serv. ad Verg. ecl. V 66; de humilibus aris ad cultum manium exstructis disseruit E. Rohde, Psyche[2] I p. 35.

[4]) Vide Senec. nat. quaest. IV 6, 7.

animalia[1]) mactantur:

Hor. serm. I 8, 27sq. Canidia eiusque ministra:

'pullam[2]) divellere mordicus[3]) agnam
coeperunt.'

Addam Lucian. necyom. 9 *τὰ μῆλα κατεσφάξαμεν*. Max. Tyr XIV 2 *ἐντεμὼν σφάγια*.

animalia sunt nigra atraque[4]):

Sen. Oed. 556:

'Nigro bidentes[5]) vellere atque atrae boves[6])
antro trahuntur'.

Stat. Theb. IV 445 de Tiresia:

'Velleris obscuri pecudes armentaque sisti
atra monet. ...
449 tum fera caeruleis intexit cornua sertis
ipse manu tractans.'

animalia ignibus traduntur:

Sen. Oed. 558: 'vivumque trepidat igne ferali pecus'

ib. 564: 'solidasque pecudes urit (sacerdos)'.

Stat. Theb. IV 466: 'semineces fibras ... reddit (ignibus Manto)'.

eorumque sanguis focis libatur:

Sen. Oed. 563: 'sanguinem libat focis (Tiresias)'.

aut cruor in fossam[7]) infunditur:

Hor. serm. I 8, 28: 'cruor in fossam confusus'.

Sen. Oed. 564sq.: 'multo specum
saturat cruore'.

Stat. Theb. IV 453: 'suadumque cruorem (inclinat in tellurem cavatam)'.

---

[1]) Od. XI, 35. De animalibus ad sacrificia vel actiones magicas adhibitis egit Dieterich, pap. magic. p. 784sqq.

[2]) Tib. I 2, 62.

[3]) v. E. Riess, Mus. Rhen. XLVIII 1893 p. 308.

[4]) Stat. Theb. IV 467: 'frondes atrae'.

[5]) Ulixes promittit se Tiresiae *οἶν ἱερεύσεμεν οἶῳ παμμέλαν*, Od. XI 32sq.

[6]) Od. XI 30.

[7]) Od. XI 36, Claudian. in Ruf. I 125. Lucian. necyom. 9 *τὸ αἷμα περὶ αὐτὸν* (sc. *τὸν βόθρον*) *ἐσπείσαμεν*. Maxim. Tyr. 14, 2 *χεάμενος χοάς*.

Val. Flacc. Arg. I 740:

'talia libato pandebat sanguine Cretheus
(in scrobes)'.

Quibus locis addas August. de civ. dei VII 35: 'Varro . . . adhibito sanguine etiam inferos perhibet sciscitari et *νεκυομαντείαν* graece dicit vocari'.

Libantur lac[1]):

Sen. Oed. 565 sq.: 'libat et niveum insuper lactis liquorem'.

Stat. Theb. IV 452 sq.: 'munera verni lactis'.

Neque omittendum est quod Tibullus dicit de saga I 2, 47 sq.:

'Iam tenet infernas magico stridore catervas,
iam iubet aspersas lacte referre pedem',

ad quos versus conferas Stat. Theb. IV 545 sq.:

'Argolicas magis huc appelle precando
Thebanasque animas; alias avertere gressus
lacte quater sparsas, moestoque excedere luco,
nata, iube'.[2])

Hel. Aeth. VI 14: *ἐπέχει (ἡ πρεσβῦτις) γάλακτος.*

mel[3]):

Stat. Theb. IV 453: Tiresias libat manibus 'Actaeos imbres'.[4])

Hel. Aeth. VI 14 *μέλιτος ἐπέχει (ἡ πρεσβῦτις) τῷ βόθρῳ.*

vinum[5]):

Sen. Oed. 566 Tiresias: 'fundit et Bacchum'.

Stat. Theb. IV 452: 'Bacchi latices'.

Hel. Aeth. VI 14 *οἶνον . . . ἐπέσπενδεν (ἡ πρεσβῦτις).*

aqua[6]):

---

[1]) H. Usener, *Milch und Honig*, Mus. Rhen. LVII 1902 p. 182; Norden ad Verg. Aen. VI 706.

[2]) Lacte apud Tibullum effectus magicus solvitur (vide infra p. 21 adn. 1); apud Statium reliqui manes arcentur, ne actionem turbent: hic est igitur *φυλακτήριον*.

[3]) Od. XI 27; Usener et Norden, l. s.

[4]) Vide commentatores ad hunc locum, qui de liquore Attico cogitant.

[5]) Od. XI 27.

[6]) Od. XI 28. Usener l. s. p. 184 sq.

mirum in modum aquam poetae illi non commemorant excepto Val. Flacc. Arg. I 730 sq.: 'et largus Phlegethontis operti stagnat honos'.[1]) Etiam apud Lucianum necyomant. 7 adhibetur, ubi Menippus narrat: *ποτὸν* sibi fuisse *γάλα καὶ μελίκρατον*[2]) *καὶ τὸ Χοάσπου*[3]) *ὕδωρ*, quocum loco conferas Pap. Parth. I 20 sq.: *καὶ λαβὼν τὸ γάλα σὺν τῷ [μέλι]τι ἀπόπιε πρὶν ἀνατολῆς ἡλίου καὶ ἔσται τι ἔνθεον ἐν τῇ σῇ καρδίᾳ.*

Restat ut afferamus eodem modo quo potum etiam dapes[4]) inferis esse sacrificatas:

Sen. Oed. 557: 'flamma praedatur dapes'

cui loco asseram Hel. Aeth. VI 14: *πέμμα*[5]) *στεάτινον εἰς ἀνδρὸς μίμημα πεπλασμένον δάφνῃ καὶ μαράθρῳ καταστέψασα εἰς τὸν βόθρον ἐνέβαλεν* (ἡ *πρεσβῦτις*). Hoc loco moneam, *πέμμα* illud esse exemplum aptissimum, quo Servii verba ad Aen. IV 512 prolata illustrentur: 'in sacris quae exhiberi non poterant simulabantur, et erant pro veris'. Non homo ipse, quem priscis temporibus occisum esse diximus supra p. 4, sed imago hominis sacrificatur.

Denique afferre non omittam praecepta Pap. Par. 1390 sqq.,[6]) quibus animi mortuorum eliciuntur *ψωμοῖς ἄρτου*[7]) idem valentibus quod Heliodori *πέμμα*: mortuorum cibus est quo comeso vires vitamque recipiunt.

Diximus adhuc de sacrificiis quibus evocantur mortuo-

---

[1]) v. Turneb. adversar. XXII 28; in similibus sacrificiis aquam adhiberi solitam fuisse testantur Serv. Verg. Aen. IV 412 et Hor. epod. V 25 sq.:

'At expedita Sagana per totam domum
spargens Avernales aquas.'

Talem aquam non vere infernalem fuisse (v. supra Phlegethontis liquorem) demonstratur Servii verbis in media pagina prolatis.

[2]) De *μελικράτῳ* ad cultum inferum pertinenti vide Stengelium, l. s. p. 111, ad mortuorum cultum ib. p. 132.

[3]) Huius quoque fluminis aqua sacra erat, nam Persarum regi bibenda servabatur, vid. Her. I 188.

[4]) Od. XI 28 *ἐπὶ δ' ἄλφιτα λευκὰ πάλυνον.*

[5]) C. Bötticher, *Tektonik der Hellenen*[2] II 543. L. Deubner, De incubatione p. 43.

[6]) Hos versus edidi in fine capitis tertii.

[7]) Qui apud Luc. dial. mer. IV 5 commemoratur panis, *μισθὸς τῆς μαγείας* est.

rum animae, iam veniamus ad alteram evocationis partem, precationes[1]) dico, quae papyrorum magicarum praeceptis nominantur *λόγοι*. Ac primum quidem praemittam eos locos, quibus poetae carmen vel cantum magicum commemorant. Sunt autem hi:

Verg. Aen. IV 487 Dido de Massylae gentis sacerdote narrat:

'Haec . . . carminibus . . . .
nocturnos . . movet manes: mugire videbis
sub pedibus terram.'

ad quem locum conferas verba Medeae apud Ov. met. VII 206 sq.:

'iubeoque . . . .
et mugire solum, manesque exire sepulcris'.

Hor. epod. XVII 77 sqq. Canidia de se ipsa loquitur:

'et polo
deripere Lunam vocibus possim meis
possim crematos excitare mortuos'.

Tib. I 2, 45 sqq. de saga:

'Haec cantu finditque solum manesque sepulcris
elicit et tepido devocat ossa rogo:
iam tenet infernas magico stridore catervas'.

Ov. am. I 8, 17 sq. de Dipsa:

'Evocat antiquis proavos atavosque sepulcris
et solidam longo carmine findit humum'.

Ov. rem. a. 253 sq. poeta de se ipso:

'Me duce non tumulo prodire iubebitur umbra,
non anus infami carmine rumpet humum'.

Sed iam convertamus ad numina, quae in necromantea invocantur.

Imprimis nimirum Hecate appellatur, 'adiutrix . . . cantusque artisque magorum'.[2])

Hor. serm. I 8, 33: 'Hecaten vocat altera' scil. Canidiae ministra.

Lucan. VI 736 sqq. Erichtho minatur:

---

[1]) Vide Maxim. Tyr. XIV 2 *εὐξάμενος*.

[2]) Ov. met. VII 195.

'Teque deis, ad quos alio procedere voltu
ficta soles, Hecate, pallenti tabida forma
ostendam faciemque Erebi mutare vetabor'

quocum loco conferas Tiresiae verba Stat. Theb. IV 514 sq.:

'Novimus et quidquid dici noscique timetis
et turbare Hecaten'.

Magus apud Lucianum necyom. 9 *ἐπεβοᾶτο . . . νυχίαν Ἑκάτην.*

Papyrorum magicarum loci sunt hi:

Pap. Paris. 1432 sqq. *κυρία Ἑκάτη φορβα φορβα βαρβαρω φωρφωρ φωρβαϊ εἰνοδία κύων μέλαινα.* ib. 1443 *Ἑκάτη χθονία.* ib. 1462: *Ἑκάτη.*[1])

Secundo loco plerumque invocantur inferum et rex[2]) et regina.

Lucan. VI 697: 'rector terrae' nomine[3]) omisso ut vs. 742 sqq.:

'Tibi, pessime mundi
arbiter, inmittam ruptis Titana cavernis
et subito feriere die'.

Senec. Oed. 559: 'qui manes regis'.

Stat. Theb. IV 474: 'saevissime fratrum'.

Stat. Theb. IV 459 sq. iuxta coniugis focum
'cumulo minor ara profundae
erigitur Cereri';

de hoc loco iam p. 6 diximus.

Luc. VI 699 sqq.:

'caelum matremque perosa
Persephone[4]) nostraeque Hecatae[5]) pars ultima, per quam
manibus et mihi sunt commercia linguae'.

---

[1]) v. R. Wünsch, Def. tab. Att. praef. p. XII.

[2]) Regnum eorum ipsum invocatur Verg. Aen. VI, 264: 'Di quibus imperium est umbrarum, umbraeque silentes'; W. Headlam in *Class. Review* XVI 1902, 55. v. praeterea Stat. Theb. IV, 473 et infra p. 13 adn. 1 al.

[3]) *Πλουτεῦ* Pap. Par. 1462.

[4]) Lucian. necyom. 9 magus *ἐπεβοᾶτο . . . ἐπαινῶν Περσεφόνειαν.* Vide Wünschium, l. s. p. VIII: *Ἑρμῆν κικλήσκω χθόνιον καὶ Φερσεφονήαν.*

[5]) *nostraeque Hecatae* Francken codices secutus; *nostrique, Hecate,* Hosius.

Cui loco conferas Pap. Par. 1402 sqq.: *τρικάρανε νυχία βορβοροφόρβα παρθένε . . . περσεφάσσα.*

Praeterea carmine coguntur Mercurius:[1])

Stat. Theb. IV 481 sqq.:

'Tu separe coetu
Elysios, Persei,[2]) pios, virgaque potenti
nubilus Arcas agat'.

Val. Flacc. Arg. I 736 sqq.:

'saevoque vocat grandaeva tumultu
Thessalis exanimes atavos magnaeque nepotem
Pleiones'.

Pap. Par. 1443 et 1463[3]) *Ἑρμῆ χθόνιε.*

Chaos, h. e. Orcus nomine poetico dictus.[4])

Luc. VI 696:

'Et Chaos innumeros avidum[5]) confundere mundos'.

Pap. Par. 1459 *Χάος ἀρχέγονον.*

Charon:

Luc. VI 704: 'flagrantis portitor undae'.

Stat. Theb. IV, 479 Tiresias exclamat:

'plena redeat Styga portitor alno'.[6])

Pap. Par. 1452 *Χάρων χθόνιε.*

Styx:

Lucan. VI 698: 'Styx',[7])

Pap. Par. 1460: *Στυγὸς ὕδωρ,* cui asseram ibid. 1461 *νάματα λήθης* atque adnotem Luc. VI 685 sq., quo loco Erichtho excantat:

'Lethaeos . . . deos',

---

[1]) Apul. apol. 31: 'ut solebat ad magorum cerimonias advocari Mercurius carminum inventor'; idem Prudent. contra Symmach. I 84 sqq.

[2]) Est Hecate, Persei filia.

[3]) Dieterich, Abraxas p. 66 de his Mercurii precationibus fusius egit.

[4]) G. Ettig, Acheruntica, *Leipziger Studien f. class. Philol.* XIII 1891 p. 371.

[5]) Similiter Senec. Troad. 411: 'tempus nos avidum devorat et Chaos'; Chaos invocatur etiam Verg. Aen. VI 265.

[6]) v. Ettig l. s. 374 adn. 1.

[7]) Phlegethon invocatur Verg. Aen. VI 265.

et Senec. Oed. 559 sq. de Tiresia:

'vocat . . . manes[1]) teque qui manes regis
et obsidentem claustra Lethaei lacus'.

Cerberus:

Stat. Theb. IV 486 sq. Tiresias exclamat:

'nec lucis egentes
Cerberus occursu capitum detorqueat umbras'.[2])

Optatur hoc loco tantum, ne rem magicam impediat. quod cum minoris momenti sit, mirum non est, non invocari *τὸν Κέρβερον* ad necromanteam perficiendam in papyris magicis. idem dicatur in deum a Cerbero diversum quem Erichtho Luc. VI 702 advocat:

'Ianitor et sedis laxae, qui viscera sacro
spargis nostra cani'.

De hoc egit O. Rossbach, *Daemonen der Unterwelt*, Mus. Rhen. XLVIII 1893 p. 593 sqq.

Elysium:

Lucan. VI 698 sq. Erichtho[3]) invocat campos:

'quos nulla meretur
Thessalis Elysios'.

Stat. Theb. IV, 481 sq. Tiresias exclamat:

'tu separe coetu
Elysios, Persei pios',

ib. 520: 'Panditur Elysium'.

Deest in papyris magicis.

Parcae:

Luc. VI, 703 sq.:

'repetitaque fila sorores
tracturae',

---

[1]) v. Val. Flacc. Argon. I 738: 'exanimes atavos'; Maxim. Tyr. XIV, 2 *ἀνεκαλεῖτο ψυχὴν ὅπου δὴ τῶν πατέρων.*

[2]) v. Senec. Oed. 580 sq. Si Luc. VI 733 sq. Erichtho minatur:

'Stygiasque canes in luce superna
destituam'

non Cerberum dicit sed canes Hecatam deam secutos, vide R. Wünsch, *Festschr. für C. F. W. Müller* p. 115.

[3]) Quam Sextus, Pompei filius, orat vs. 600: 'Elysias resera sedes'.

cui loco conferas Pap. Par. 2795 ubi *νήματα Μοιρῶν*[1]), licet aliam ad rem magicam adiuvandam invocentur.

Eumenides:

Luc. VI 695:

'Eumenides Stygiumque nefas Poenaeque nocentum'.[2]) Pap. Par. 1463 sq.: *Μοῖραι καὶ Ποιναί.* ib. 1448 sq.: *Ἁμαρτίαι χθόνιαι.*

Furiae:

Hor. Serm. I 8, 33 sq. Sagana Canidiae ministra vocat:
'saevam ... Tisiphonen'.

Luc. VI 730 sqq. Erichtho:
'Tisiphone vocisque meae secura Megaera
non agitis saevis Erebi per inane flagellis
infelicem animam'?

Stat. Theb. IV, 456 sq. Tiresias:
'Tris ..... satis Acheronte nefasto
virginibus iubet esse focos'.[3])

ib. 483 sqq.:
'per crimina functis
qui plures Erebo pluresque e semine Cadmi
angue ter excusso et flagranti praevia taxo,
Tisiphone, dux pande diem',

ib. 500 sq.:
'Tiresias nondum adventantibus umbris
"testor", ait, "Diras, quibus hunc saturavimus ignem".

Lucian. necyom. 9 magus *ἐπεβοᾶτο καὶ Ποινὰς καὶ Ἐρινύας.*

Pap. Par. 2798 sq. comparare licebit:

Τισιφόνη τε Μέγαιρα[4]) *καὶ Ἀλληκτὼ πολύμορφε*

quamquam ad necromanteam ipsam perficiendam hoc loco non invocantur.

---

[1]) Ib. 454 *νήματα Μοιράων* ad rem magicam non spectant.

[2]) Lucian. necyom. 8 *μάγος . . . ἐπεβοᾶτο καὶ Ποινὰς καὶ Ἐρινύας.*

[3]) Vide supra p. 6.

[4]) *περσεφονη τε μετερα* papyrus exhibet iam a Meinekio correcta Vide Orph. Argonautic. 968 ed. Abel: *Τισιφόνη τε καὶ Ἀλληκτὼ καὶ δια Μέγαιρα.*

Restat ut afferamus numen quoddam magicis in rebus efficacissimum quo invocato inferum pertinacia frangitur. Nam Luc. VI 745 sqq. minatur maga se compellaturum illum

'quo numquam terra vocato
non concussa tremit, qui Gorgona cernit apertam
verberibusque suis trepidam castigat Erinyn,
indespecta tenet vobis qui Tartara, cuius
vos estis, superi, Stygias qui peierat undas?'

De eodem dixit Stat. IV 517:

'triplicis mundi summum, quem scire nefastum'.

Qui de illo deo edoceri studet, mittatur ad Ettigium (Acheruntic. p. 369 adn. 1), qui reliquos deos, quos nominare nefas est, collegit.

CAPVT II

DE AMATORIA ARTE MAGICA

Amatoria ars magica plane simili ratione atque necromantea exercetur.[1]) Quare et hic primum est agendum de sacrificio.

Cum humani sacrificii testimonium non exstet,[2]) statim transeamus ad animalia. Animal esse sacrificatum narrat Tibull. I 2, 61 sq.:

'nocte serena
concidit ad magicos[3]) hostia pulla[4]) deos'.

Ut in necromantea hostiae vel integrae vel e parte ignibus traduntur, ita in amatoria quoque magia animalium partes cremantur. Quarum in numero sunt habenda:

'ossa[5]) ab ore rapta ieiunae canis', quae Canidia Hor. epod. V 23 sq. comburi iubet.

Tamen aliquid interest inter hoc sacrificium atque ea animalium ossa quae ad inferos evocandos adhibentur. Quod facile perspicitur collatis reliquis rebus a Canidia eiusque ministris usurpatis (vs. 17 sqq.):

---

[1]) Vide supra p. 3.

[2]) Nam puer terrae infossus (Hor. epod. V) non sacrificatur, ut *νεκυδαίμων* factus inserviat Canidiae (O. Crusius Mus. Rhen. XLIV 1889 p. 451), sed fame interimitur, ut medulla et aridum iecur (v. 37) praesto sint ad philtrum validissimum parandum, qua de re agam infra p. 26 sq.

[3]) v. Lucan. VI 577.

[4]) v. supra p. 7 adn. 2.

[5]) Vide Hor. Serm. I 8, 22; Ov. her. VI 89 sq.; Lucan. VI 552 sq.

'iubet sepulcris [1]) caprificos erutas,
iubet cupressus [2]) funebres
et uncta turpis ova ranae sanguine
plumamque nocturnae strigis [3])
herbasque, [4]) quas Iolcos atque Hiberia
mittit venenorum ferax, ...
flammis aduri Colchicis'.

Quis est quin videat cremari illas res ad suffiendum?

Alterum suffimenti exemplum exhibetur Verg. ecl. VIII, 64 sq., quo loco Amaryllis iubetur:

'Effer aquam [5]) et molli cinge haec altaria [6]) vitta [7])
verbenasque [8]) adole pingues et mascula [9]) tura'. [10])

et vs. 82:

---

[1]) Omnia quae cum mortuis cohaerent magnam vim habent in arte magica. v. Lucan. VI 526; infra p. 42 sqq.

[2]) Verg. Aen. VI 216: 'ferales ... cupressos'. de ferali huius arboris vi v. Pauly-Wissowa IV, 1932 sqq.

[3]) Qui locus obversatus esse videtur Propertio qui III 6, 27 sqq. dicit de philtris:

'illum turgentis ranae portenta rubetae
et lecta exsectis anguibus ossa trahunt
et strigis inventae per busta iacentia plumae'.

de ranae sanguine v. Riess apud Pauly-Wiss. s. v. *Aberglaube* p. 70, 58 sqq.

[4]) v. vs. 67 sq.; Lucan. VI 683 sq.

[5]) v. supra p. 8 sq.

[6]) Ib. vs. 105; Prop. I 1, 19 sq.

[7]) v. Prop. IV 6, 6; III 6, 30.

[8]) v. Io. G. Lenz, *Botanik der alten Griechen und Römer*, Gothae 1859 p. 191 sq.; Donat. Ter. Andr. IV 3, 11.

[9]) Suspiceris hanc sexus significationem ad Venerem spectare, sed est vulgaris Graecorum distinctio, quod probatur inspectis locis his: Dioscor. de m. m. I 81: *πρωτεύει δὲ ὁ ἄρρην*, Alciphr. II 4 p. 67 Hercher: *ἱερεῦσαι καὶ λιβανωτὸν ἄρρενα*, Lenz, l. s. p. 655. Plin. XII 62: 'Graeci stagonian et atomum (masculam) appellant', ubi *ἄτομος* 'non exsectus' est ideoque masculus. idem sibi vult *ἄτμητος*: Pap. Parth. II 24 sq.: *ἐπι[θυ]ε δὲ ἐπικαλούμενος λίβανον ἄτμητον*, Pap. Par. 214 sq.: *ἐπίθυε ἐπὶ θυμιαστηρίου γήινον ἄτμητον λίβανον σταγονιαῖον*, ib. 1990 sq., 3196: *λίβανον ἄτμητον*, 907: *λίβανον ἀρσενικόν*.

[10]) Lenz, l. s., Lucan. VI 526, Pap. Parth. II 13 et 19 sq., Pap. Lugd. J 395 p. 171, 2; 171, 18. Stengel, *Kultusaltert.*² p. 92.

'Sparge molam [1]) et fragiles incende bitumine [2]) laurus'.[3])

Eundem ad finem usurpata esse videntur herbae atque venena, de quibus amata puella dicit Verg. ecl. VIII 95 sq.:

'Has herbas atque haec Ponto [4]) mihi lecta venena
ipse dedit Moeris',

quibuscum conferas verba Nemesiani, qui Vergilium est imitatus ecl. IV 62 sqq.:

'Quid prodest, quod me pagani mater Amyntae
ter vittis, [5]) ter fronde sacra, ter ture [6]) vaporo
incendens vivo crepitantes [7]) sulfure [8]) lauros
lustravit'

et vs. 69:

'et mille ignotas Mycale circumtulit herbas'.

Addam etiam carminis quod Ciris inscribitur vs. 369 sq.:

'at nutrix, patula componens sulfura testa
narcissum casiamque [9]) herbas incendit olentes'

atque Ov. rem. 260:

'nec fugiet vivo sulfure victus amor'.

Quibus ex locis cognoscas in amatoria arte magica suffimentum multo saepius esse adhibitum quam sacrificium animalium, ne dicam artis amatoriae magicae sacrificium tantum e suffitionibus, quod Graeci *ἐπίθυμα* vocant, constare, ut iam in Theocriti id. II, quod nullus illorum temporum poeta non novit. [10])

---

[1]) Serv. ad h. l.; Tib. I 5, 14; Theocr. II 18; supra p. 9 adn. 4.

[2]) Hor. epod. V 82.

[3]) Theocr. II 23 sq.; Prop. II 28, 36; Nemesian. ecl. IV 65; Hirschfeld, l. s. p. 38 adn. 1; U. Kehr, quaest. magic. specimen, progr. Hadersleben 1884 p. 18; Riess apud Pauly-Wissowa s. v. *Aberglaube* 60, 19 sqq.

[4]) Vide Hor. epod. V 21 sqq.

[5]) Vide Verg. ecl. VIII 64 et supra p. 17 adn. 7.

[6]) v. p. 17 adn. 10.

[7]) v. Hirschfeld, l. s. p. 38.

[8]) v. R. Wünsch, *Zur Ciris* v. 369—377 (Mus. Rhen. LVII 1902 p. 470); Lucian. dial. mer. IV 5: *σὺ δὲ ὦ Ἀκὶ . . . τὸ θεῖον καὶ τὰ ἄλλα πάντα πρὸς τὴν ἐπῳδὴν εὐτρέπιζε.*

[9]) v. Wünsch, l. s. p. 471; addas Apul. apol. 32.

[10]) Plin. n. h. XXVIII 19 Catullum et Vergilium e Theocrito sua mutuatos esse perspexit.

Si iam ad aliud magiae amatoriae elementum transire conamur, proximum non est, ut de carmine dicamus, sed *περὶ τῆς συμπαθείας*. Causa enim, quod tanti momenti amantibus est suffitio, ea est quod in amatoria arte magica cum suffimento est coniuncta ipsa amatorum persona ita quidem, ut eodem momento quo fiat suffimentum, accidat, ut amatus vel amata amore corripiatur atque flagret eodem igne atque herbae venenaque flammis tradita.

Theocriti pharmaceutriarum [1]) exemplum illustrissimum imitatus est Vergilius, cuius in ecloga VIII 82 Amaryllis iubetur laurum spargere, de qua domina dicit vs. 83:

'Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum'.

Eandem ad rem [2]) usurpatur quodlibet limi ceraeque frustulum vs. 80 sq.:

'Limus ut hic durescit, et haec ut cera [3]) liquescit
uno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore'.

vel cereae imagines Hor. Serm. I 8, 32 sq.:

'Cerea suppliciter stabat servilibus ut quae
iam peritura modis'.

ib. 43 sq.:

'imagine cerea
largior [4]) arserit ignis'.

Quod ut illustrem affero exemplum e papyris magicis desumptum, *ἀγωγὴν ἐπὶ ζμύρνης ἐπιθυομένης* Pap. Par. 1496 sqq. [5]), imprimis 1528 sqq.: *καῦσον αὐτῆς τὰ σπλάγχνα, τὸ στῆθος τὸ ἧπαρ . . . . ἕως ἔλθῃ πρὸς ἐμὲ τὸν δεῖνα φιλοῦσά με.* Idem

[1]) II 10 *τὴν δέ νιν ἐκ θυέων καταδήσομαι.* 18 sq. *ἄλφιτά τοι πρᾶτον πυρὶ τάκεται· ἀλλ' ἐπίπασσε Θεστυλί.* 21: *πάσσ' ἅμα καὶ λέγε ταῦτα· 'τὰ Δέλφιδος ὀστία πάσσω.'*

[2]) v. Lucian. dial. meretr. IV 5; Catalogum codicum astrologorum III (*Bruxelles* 1901) cod. Mediol. 17. p. 43, 5: *πύρωνε ἐν τῷ πυρί* et p. 45, 5: *πύρωνε ἐν φλογί.*

[3]) Theocr. II 28 sq.; Hor. epod. XVII 76.

[4]) v. Hirschfeld, l. s. p. 38 adn. 2; U. Kehr, quaest. magic. specim. p. 18 adn. 6.

[5]) Quod praescriptum fusius explanatum est ab Ernesto Kuhnert, *Feuerzauber* (Mus. Rhen. IL 1894), qui p. 55 affert similem formulam magicam Hohenfurti in silva Bohemica usurpatam (*Zeitschrift f. Deutsches Altertum* XXXV 1891 p. 251).

legitur in defixione quadam amatoria Hadrumeti reperta (Def. tab. Attic. praef. XXVI vs. 17sq.): 'amore et desiderio meo uratur, huius spiritus et cor comburatur'.

Ad hanc sympathicam[1]) ut ita dicam magiam est adnumerandus usus effigiei liciis implicatae, ut amati mens amore implicaretur.

Verg. ecl. VIII 73sqq. dicit Amaryllidis domina:

'Terna[2]) tibi haec primum triplici diversa colore[3])
licia circumdo[4]) terque haec altaria circum[5])
effigiem duco.'

Aeque atque imaginem[6]) saepissime usurpari rhombum[7]) cognosces ex Hor. epod. XVII 6sq., quo loco poeta precatur:

---

[1]) v. Agrippa ab Nettesheym, de occulta philos. II cap. 49: 'dicunt enim, quod, quatenus imaginem operarii ipsam imaginem afficiunt, eatenus illam similes passiones inferre his, quibus adscriptae sunt, prout illud animus operantis dictaverit'. Debeo hunc locum Ernesto Kuhnert, (loco p. 19 adn. 5 citato p. 43 adn. 4); conferas etiam Riessium, s. v. *Aberglaube* 36, 5sqq.

[2]) Vide Ciris carminis vs. 370sq.: 'Terque novena ligans triplici diversa colore | fila'; de filis magicis dixerunt Hirschfeld, l. s. p. 43 adn. 4; Th. Zachariae, *Wiener Ztschr. f. Kunde des Morgenl.* XVII 1903 p. 217. De reliquis videas M. C. Sutphen, *Magic in Theokritos and Vergil, Studies in honour of Basil L. Gildersleeve, Baltimore* 1902 p. 320sq.; Wünsch, *Zur Ciris* v. 369—377, Mus. Rhen. LVII 1902 p. 468sqq.; W. Warde Fowler, *The Number Twentyseven in Roman Ritual, Classic. Review* XVI 1902 p. 211sq.; W. H. Roscher, *Abh. der phil. hist. Cl. der Sächs. Ges. d. W.* XXI 1903 IV 87.

[3]) v. quae Servius ad hunc locum adnotat; praeterea Pap. Par. 330sq.; Grimm, *D. Myth.*[4] I 982sq., III p. 344sq.; Riess, s. v. *Aberglaube* 33, 66sqq.; Kuhnert, l. s. p. 45 adn. 5. — Hor. serm. I 8, 49sq. commemorat 'incantata vincula' a Canidia eiusque ministra usurpata.

[4]) Sutphen, l. s. p. 324sq.; Zachariae, l. s.

[5]) Effigies circum altaria ducitur (Sutphen, l. s. p. 320 adn. 8; Wuttke-Meyer, *Der deutsche Volksaberglaube der Gegenwart* p. 184sq.), non vero in altaribus ponitur (H. Hubert, s. v. Magia, *Dictionnaire des antiquités* p. 1517).

[6]) v. R. Wünsch, *Eine antike Rachepuppe*, Philol. LXI 1902 p. 26sqq.; S. Fraenkel, *Ztschr. des Ver. f. Volkskunde in Berlin* 1903 p. 440sq.

[7]) Cuius de usu docuerunt: D. Tiedemann, dissertatio quae fuerit artium magicarum origo, Marpurg. 1787 p. 69; C. A. Boettiger, *Ideen zur Kunstmythologie* I p. 69 adn. 1; O. Jahn, *Sitzungsberichte der Sächs.*

'Canidia parce vocibus tandem sacris
citumque retro solve, solve[1]) turbinem.'

Apud Propertium (III 6, 26) queritur amata de amato, quod 'staminea rhombi ducitur ille rota'.

Eiusdem rei peritam Ovidius nobis fingit Dipsam, am. I 8, 7 sq.:

'Scit bene, .. quid torto concita rhombo
licia ... valea(n)t.'

Quibus locis asseram quae Lucanus de magis Thessalis dicit VI 458 sqq.:

'Quos non concordia mixti
alligat ulla tori blandaeque potentia formae,
traxerunt torti magica vertigine fili'.

Quibus devinctionibus amatoriis sunt adnumeranda, quae Ovidius (her. VI 91 sq.) narrat de Medea, Iasonis absentis simulacra cerea devovente:

'Et miserum tenuis in iecur[2]) urget acus'[3]),

cui loco conferas quae leguntur apud eundem Ovidium, am. III 7, 29 sq.:

'Sagave poenicea defixit nomina[4]) cera
et medium tenuis in iecur egit acus'

quo loco nomina poetae defiguntur, quod non mirum est nobis reputantibus, quam anguste apud veteres cum suo quisque cohaeserit nomine.[5]) Manifesto eandem ad defixionem

---

Ges. der Wiss. phil.-hist. Cl. 1854 p. 255 sqq. — *ὁ ῥόμβος* etiam papyris magicis non deest: Pap. Par. 2296, 2336. Videas etiam Hubert s. v. Magia p. 1517 adn. 2.

[1]) v. Hor. carm. I 27, 21 sq., epod. V 71; Tib. I 2, 59 sq., I 9, 83; Riess, Mus. Rhen. XLVIII 1893 p. 310.

[2]) Iecur libidinis sedes, v. infra p. 27 adn. 1.

[3]) v. Kehr, quaest. magic. specim. p. 13 adn. 1: 'Habes similia apud Schoenwerthium *aus der Oberpfalz, Sitten und Sagen* I p. 127, qui e populi fama haec memorat: *das betrogene Mädchen sticht um Mitternacht in eine unter Beschwörungen angezündete Kerze einige Nadeln und spricht: „ich stech das Licht, ich stech das Licht, ich stech das Herz, das ich liebe"*.

[4]) Item devovetur *τὸ ὄνομα τῆς ἀγαπώσης* Pap. Par. 316; in diris plumbo mandatis (Mus. Rhen. LVIII 1903 p. 159 n. 5 B 5) legisse se affirmat Wuenschius 'neca illa nom[ina'. v. A. Dieterich, *Mithrasliturgie* Lips. 1903 p. 118 sqq.

[5]) v. Fr. Giesebrecht, *Die alttestamentl. Schätzung des Gottesnamens*

spectat Ovidius, cum eiusdem carminis versu 79 amatam fingit interrogantem:

'te traiectis Aeaea venefica lanis
devovet',

quo in versu cogitatur de effigie cerea [1]) laneis liciis circumdata, liciis acu vel simili instrumento traiectis, quae res est hoc tantum loco, quantum scio, ad defixionem [2]) faciendam usurpata. De actione ipsa optime edocebimur exemplo hoc, quod integrum apponere licet, e Papyro Parisina vs. 2943 sqq. deprompto:

Ἀγωγὴ ἀγρυπνητική. λαβὼν νυκτερίδος [3])
ὀφθαλμοὺς ζῶσαν αὐτὴν ἀπόλυσον καὶ λαβὼν
σταίτιον ὠμὸν ἢ κηρὸν ἄπυρον πλάσον κυ- 2945 W
νάριον καὶ τὸν δεξιὸν ὀφθαλμὸν τῆς νυκτε-
ρίδος εἰς τὸν δεξιὸν ὀφθαλμὸν τοῦ κυναρίου ἔν-
θες καὶ τὸν εὐώνυμον ὁμοίως εἰς τὸν εὐώνυμον
καὶ λαβὼν βελόνην, διείρων τὴν οὐσίαν [4])
εἰς αὐτὴν τὴν βελόνην, [5]) *διεῖρον διὰ τῶν ὀφθαλ-* 2950 W
μῶν τοῦ κυναρίου, ἵνα ἡ οὐσία φαίνηται, καὶ βά-
λε αὐτὸ εἰς κωθώνιον καινὸν καὶ πιττακίσας [6])

P = papyrus, W = Wessely, K = Kenyon. compendia a Wesselio optime soluta non adnotavi.

vs. 2 *ζωσον* P, *ζῶσαν* Wuenschius coll. Luc. VI 679 'viventis ... colubrae.'

---

und ihre religionsgeschichtliche Bedeutung, Regimont. 1901 p. 74: *Eins dieser vielen Mittel, einen Menschen zu treffen, ist auch sein Name, er ist ein untrennbarer Teil des Menschen, so dass was mit dem Namen geschieht auch dem Menschen wiederfährt.*

[1]) Nam lanea effigies (Hor. serm. I 8, 30 sq.). 'quae poenis compesceret inferiorem (ceream imaginem)' plane aliam ad rem est ficta: quod ut satis explanatum relinquo a viris doctissimis E. Riess, Mus. Rhen. XLVIII 1893 p. 307 sqq. atque E. Kuhnert, Mus. Rhen. 1894 p. 37 sqq.

[2]) Lana magicum effectum promoveri docet Kehr, l. s. p. 12 adn. 7. Kiessling ad Hor. serm. I 8, 30 adnotat: *Wolle besitzt unlösbar bindende Kraft.* v. Dielsium, *Sybillinische Blätter* p. 69 sq.

[3]) Pap. Lugd. J 384 XI, 26, Dieterich, Pap. mag. p. 785 adn. 10. Pap. mus. Brit. CXXI 718; Riess, s. v. *Aberglaube* 70, 42—49. Wuttke-Meyer in indice s. v. *Fledermaus.*

[4]) de hac voce v. Kuhnert, Mus. Rhen. IL 1894 p. 45 adn. 6 et p. 47.

[5]) v. eiusdem papyri versum 321.

[6]) *Πιττακίσας* est *ἅπαξ λεγόμενον.*

αὐτὸ σφράγισον αὐτὸ ἰδίῳ δακτυλίῳ, ἔχων
κορκοδείλους ἀντικεφάλους αὐτοῖς καὶ κατά-
θου αὐτὸ εἰς τρίοδον σημειωσάμενος, ἵνα, 2955 W
ἂν θέλῃς αὐτὸ ἀρεῖν, εὑρῇς. λόγος ὁ γραφόμενος εἰς τὸ πιττάκιον·
Ἐξορκίζω σε τρὶς κατὰ τῆς Ἑκάτης
φορ φορ βα βαι βω φωρ βωρ βα, ἵνα ἀπο-
βάληται τὸ πυρινὸν ἡ δεῖνα ἐν τῷ ὀφθαλμῷ ἢ καὶ
ἀγρυπνῇ, κατὰ νοῦν μηδένα ἔχουσα, εἰ μὴ 2960 W
ἐμὲ τὸν δεῖνα μόνον. Ἐξορκίζω σε κατὰ τῆς κόρης
Τριοδίτιδος γενομένης ἥτ' ἔστιν ἀλη-
θὴς ἡ μήτηρ Πλούτου[1]*. ἐθέλεις φορβεα*
Βριμώ[2] *νηρηα τοδαμων βριμων σεδνα·*
δαρδαρ· πανοπαια ιωτη· ποίησον τὴν δεῖνα 2965 W
ἀγρυπνοῦσάν μοι διὰ παντός.

vs. 12 *κορκοδιλους* P. vs. 15 *τρις καιδεκατης εκατης* P, quae L. Deubner, de incubatione p. 40 recte emendavit in *τρὶς κατὰ τῆς Ἑκάτης*; quod coniecerat Wessely *Mitteilungen der Papyrussammlung Erzherzog Rainer* V 1889 20, est abiciendum. vs. 21 *τ . . . του* P, unde *Πλούτου* Wuensch. vs. 23 *ιωπη* W prius; *ιωτη* idem prgr. p. 17. vs. 24 *με* P, sed vide pap. Mus. Brit. CXXI 383 W (375 K) *ἀγρυπνείτω μοι*, unde correxi.

Ut summam horum versuum proferam, paucis verbis comprehendam quod praecipitur: catelli imagini farinaceae vel cereae sunt infigendi vespertilionis oculi et acu transfigendi, ut devovenda et oculorum splendorem perdat neve alius hominis recordetur nisi defigentis. Eiusdem generis exemplum alterum quoniam a Kuhnertio (Mus. Rhen. IL 1894 p. 45 sqq.) est allatum, non iam repetam, sed lectorem ad Kuhnertii dissertationem relego.

Summi autem momenti est id quod iam supra (p. 21) monuimus in amatoria arte magica, ut devovendi vel devovendae nomen quibuslibet rebus inscriptum defigatur. Omissis versibus

[1]) De Pluti matre quae vulgo fertur v. Preller-Robert, *Griech. Myth.* I p. 767 adn. 5.

[2]) v. Apoll. Rh. III, 1211 et 861 sq.; Lycophr. 1175 sq.; latere fortasse hoc loco, licet verba distorta sint, symbolum illud Eleusinium, de quo ultimus egit A. Dieterich, *Eine Mithrasliturgie* p. 213 *ἔτεκε πότνια κοῦρον Βριμὼ Βριμόν* monet Wuenschius, qui idem animum advertit ad *τὴν Κόρην μητέρα* opinionem apud veteres Graecos minime vulgarem.

papyri Lugdunensis alterius iam a Dieterichio (Abraxas 192, 9 sqq.) emendatis inspiciamus praecepta servata papyro Mus. Brit. CXXI 309 W (= 300 K) sqq.:

Ἀγώγιμον αὐθωρόν. λαβὼν ὄστρακον θαλάσσιον γράφε τὰ ἅγια
ὀνόματα διὰ αἵματος ὀνίου μέλανος. λόγος· ἐξορκίζω σε 310 W
ὄστρακε κατὰ τῆς πικρᾶς Ἀνάγκης μασκελλι λόγος[1] *καὶ κατὰ*
τῶν ⟨ἐπὶ τῶν⟩ τιμωριῶν τεταγμένων λακι λακι ω λακι μου
μου κιλα κιλα μου ιωρ μουωρ μουθρα μαξθα
μουσαθα ἄξον τὴν δεῖνα τῆς δεῖνα (κοινὸν[2]*) ὅ τι) μὴ ταραμείνατε*
ἀλλ' ἄξον αὐτὴν ουχ συχ χαννα μου χλιμαλχα 315 W
μαντωρ μουρκανα μουλιθα· μαλθαλιμου ιη ιη ιυ
ιυ αη αιη νοω αηι αηι αηι αωα αωα αωα ιαω ωαι
ωαι αιω ωια ιωα ιαω ωαι ἄξον τὴν δεῖνα κοινὸν βανιακ
ἐν ταύρῳ ἢ κριῷ ἢ ταύρῳ[3] *καὶ κοι(νὰ) ὅσα θέλεις.*

vs. 1 *θαλασσιου* K. vs. 2 *ονιου μελανου* P *ὄνου μέλανος* W. sed *ὀνίας* piscis est, Ath. VII p. 320 c. vs. 4—10 verba magica inter se distinxit K. vs. 4 *⟨ἐπὶ τῶν⟩* add. Wuenschius. vs. 6 post *ὅ τι* suppleas *θέλεις*. vs. 9 semel *αηι* omis. W. vs. 10 *ια ωαι αξυν* et *βιανι α* W, corr. K. vs. 11 *κρειω* P *κριῷ* scripsi; v. vs. 303 W (295 K).

Similia leguntur in eadem papyro vs. 475 W (467 K) sqq.:

Λαβὼν ὄστρακον ἀπὸ θαλάσσης ζωγράφησον εἰς αὐτὸ
ζμυρνομέλανι τὸ ὑποκείμενον ζῴδιον Τυφωνιακὸν[4] *καὶ κύκλῳ*
αὐτοῦ τὰ ὀνόματα καὶ βάλε εἰς ὑποκαυστήριον βαλανείου·[5] *ὅταν δὲ*
βάλῃς δίωκε λέγων ταὐτὰ τὰ ἐν κύκλῳ ἐγγεγραμμένα
καὶ ὅτι ἄγε μοι τὴν δεῖνα ἣ δεῖνα ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ ἀπὸ τῆς ἄρτι
ὥρας καιομένην τὴν ψυχὴν καὶ τὴν καρδίαν, ταχὺ ταχύ,[6] 480 W

[1]) *λόγος* hoc loco est 'et reliqua adiuratio'. quae qualis fuerit, videmus apud Wuenschium, *Sethianische Verfluchungstafeln aus Rom*, Lips. 1898 p. 94.

[2]) De hac voce vide E. Kuhnert, Mus. Rhen. IL 1894 p. 52 adn. 5.

[3]) Nomina siderum in quibus ea praxis efficacissima est.

[4]) Hoc animal delineatum est in tabellis devotoriis Romanis, v. Wuenschium, l. s. p. 16 al.

[5]) v. H. Hubert, l. s. p. 1511: *les démons balnéaires sont chargés d'expliquer l'effet des tablettes magiques déposées dans les bains* (Eunap. in Porphyr. p. 10; Greg. Nyss. v. Greg. Thaumat. p. 308; Psellus *περὶ ἐνεργ. δαιμ. ἐδ.* Boissonade p. 21 n. 2). Vide ibidem p. 1507 adn. 24.

[6]) v. Fr. Adami, de poetis scaenicis Graecis hymnorum sacrorum imitatoribus, Fleckeis. annal. suppl. XXVI 1900 p. 220 adn. 3.

ἴδη ἤδη. ἔστιν δὲ τὸ θεώρημα τὸ ὑποκείμενον. διώκων δὲ τὸν λόγον τὴν ἀ[ρ]χὴν τοσοῦτος· αγκονω κη ση : ειριν αρεμιν : εν την ταιν : φοου : τωνκτω : μνησιεθων : Ὄσιρι : ενα . . ωθ : ψανου : λαμψουωρ : ιεου : ιω : ιω : αι : ηι : ει : αι : ει : αω : ἀγαγέ μοι τὴν δεῖνα τῆς δεῖνα καὶ τὰ λοιπά. ἔστιν δὲ τὸ ζῴδιον : προ κείμενον 485 W

vs. 4 *λεγον τα* vel *λεγοντα* P *λέγων τὰ ὀνόματα* coni. W *τα* delevi. vs. 5 *χμερας* P quod corrigendum est. vs. 8 *αναγκον ωκηση: εηριναρεμιν* K. vs. 11 *προ . . . . ενον* P, quod explevi.

et ibidem vs. 470 W (462 K) sqq.:

Φίλτρον κάλλιστον. ἐπίγραψον ἐπὶ λάμναν κασσιτερίνην τοὺς χαρακτῆρας
καὶ τὰ ὀνόματα καὶ οὐσιάσας οἵᾳ δήποτε οὐσίᾳ ἔλιξον καὶ βάλε εἰς θάλασσαν.[1]) οἱ δὲ χαρακτῆρες οἵδε sequuntur signa magica ιχαναρμενθω· χασαρ· ποιήσατε τὴν δεῖνα φιλεῖν ἐμὲ (κοινόν).

vs. 2 *θυσιασας* K perperam.

Sed a magorum praescriptis redeamus ad poetarum carmina. Devotionis amatoriae exemplum exhibetur a Vergilio ecl. VIII 91 sqq., ubi Amaryllidis domina dicit:

'Has olim exuvias[2]) mihi perfidus ille reliquit
pignora cara sui, quae nunc ego limine[3]) in ipso,

---

[1]) v. Wuenschium, Def. tab. Attic. IV adn. 6, ubi commemoratur veterum opinio per lacum aut aquam esse Orci introitum. Addas Prop. IV 1, 106. Qui proxime in papyro antecedunt versus 467—469 W (459—461 K) sunt magici praecepti fragmenta, quibus nihil dignum quod proferatur exhibetur.

[2]) v. Eurip. Hippol. 513 sqq.: *δεῖ δ' ἐξ ἐκείνου δή τι τοῦ πεθουμένου σημεῖον, ἢ λόγον* (*τλόκον* coni. Wilamowitzius) *τιν' ἢ πέπλων ἄπο λαβεῖν.* Theocr. II 53 *τοῖτ' ἀπὸ τᾶς χλαίνας τὸ κράσπεδον ὤλεσε Δέλφις.* Lucian. dial. mer. IV 4: *δείσει δέ τι αὐτοῦ τοῦ ἀνδρὸς εἶναι, οἷον ἱμάτια ἢ κρηπῖδας ἢ ὀλίγας τῶν τριχῶν.* Apul. met. III 16.

[3]) Falso O. Crusius (Mus. Rhen. LI 1896 p. 549) hunc morem solum Romanum esse contendit. Videas Wuttke-Meyer, l. s. p. 367: *will man recht häufigen Besuch des Geliebten, so reisst man ihm heimlich ein Haar aus und steckt es unter die eigene Thürschwelle, oder in den Thürpfosten* (Böhmen): *der Mensch wird zu dem eigenen hingezogen*; Wuenschius, Defix. tabell. Attic. XXX adn. 1. Riessius, s. v. *Aberglaube* 34, 39 sqq.; vide etiam Pap. Lugd. J 384 III 28 sqq.

terra,[1]) tibi mando[2]): debent haec pignora Daphnim.'

Quibus magiae amatoriae actionibus, quae adhibentur ad absentes devovendos, liceat addere medicamina illa hominibus amatis ipsis ad amorem movendum data: potionem dico amatoriam, apud omnes fere gentes frequentissimam vulgatissimamque,[3]) quam φίλτρον Graeci nominabant. atque hac in re materiam ita instituamus, ut dispiciamus, quibus viis rationibusque paretur.

Omnium efficacissima est potio, quae continet partes ex corpore eius qui vel quae amat desumptas, e. g. crinem ungues sudorem sanguinem.[4]) Cuius generis exemplum plane congruum illorum temporum poetae non praebent, tamen simile quid Horatius, qui Canidiam desiderii pocula temperandi[5]) peritissimam depingit epod. V, quo 'inpube corpus'[6]) pueri[7]) terrae infossum fame[8]) interimitur a sagis, ut 'medulla et aridum

[1]) Wuenschius, l. s. IV.

[2]) Devovendi verbum est, Wuenschius, l. s. XXIX.

[3]) Wuttke-Meyer, l. s. 365. Hic addas praeceptum quod desumpsi e libro illo magico qui inscribitur *Der wahrhaftige feurige Drache* Colon. 1725 p. 103: *Jemanden Liebe anzuthun. Diess ist ein probat Mittel, so ein Italiener zu oftmalen anwendete so dass er dadurch die Weibsleute fast närrisch machte. Nimm ein Scheermesser, damit schneide von den Nägeln deines Fusses und deiner Hand ein wenig ab, sodann schneid etlich Haar von deinem Bart und Haupte. Dies alles brenne wohl zu Pulver und streue der Person, der du Liebe einflössen willst, ein wenig in's Essen oder Getränk; die Person muss dich nun lieben, und wenn sie dir gleich vorher todtfeind gewesen.*

[4]) Wuttke-Meyer, ibidem.

[5]) Vide epod. XVII 61 et 80.

[6]) vs. 13; praematura violentaque morte interemptis eximiam vim magicam inesse credebant, quod dilucide Lobeck, Aglaopham. I 223 adn. e, Dieterich, pap. mag. p. 792 adn. 1 alii demonstraverunt.

[7]) putare velim pueri non puellae corpus esse adhibitum a magis de industria quia genus masculum in magia praevalebat; eiusdem horridae superstitionis exemplum est CIL VI 19747. inspicias praeterea Löwenstimmium, *Aberglaube und Strafrecht*, Berol. 1897 p. 123 sq.

[8]) vs. 33 sq.: 'Longo die bis terque mutatae dapis | inemori spectaculo.' Intellegere non possum, quibus causis permotus Lucianus Müller in commentario a. 1900 edito dicere potuerit p. 433: *Dass der Knabe nicht durch Hunger stirbt, sondern durch Mordwaffen erhellt aus vs. 91 sq.* Quis audeat hoc demonstrare ex huius loci verbis: 'Ubi perire iussus exspiravero, nocturnus occurram furor'? Müller ipse eadem pagina contra se

iecur'[1]) inserviant ad 'amoris poculum'[2]) efficacissimum[3]) parandum.

Praeter res ex humano corpore desumptas amoris potionibus miscentur animalium partes. Ex pulmone ranae sive rubetae, quam Graeci *σαύραν* vocant, philtra componebantur[4]): Theocr. II 58 (Simaetha):

σαύραν τοι τρίψασα ποτὸν κακὸν αὔριον οἰσῶ.

Prop. III 6, 27 sq.:

'illum turgentis ranae portenta rubetae[5])
et lecta exectis anguibus[6]) ossa trahunt.'

---

pugnat interpretando versum 37 verbis his: *Hier steht* exesa *wie dann* aridum *zugleich als Folge des Verhungerns und der Tantalusqualen des Knaben.* Gesnerus ad h. l. adnotat: 'Credebant hae maleficae desiderium cibi et potus medullae iecorique miselli pueri inhaerens ad amorem facturum'. Peerlkamp. ed. 1862: 'Veneficae aridam medullam et aridum iecur ex corpore necati fame pueri exsectam, sumptam, colligebant. Urebatur puer siti et fame usque ad imas medullas. Iste ardor in medullis mortui arefactis remanere putatur.'

[1]) vs. 37. iecur libidinis sedes libidinem excitare potest, v. Kiesslingii adnotationem; de iecoris usu magico v. Löwenstimmium, l. s. p. 109; 111 sq.; 125 adn. 2; L. Blau, *Das altjüdische Zauberwesen*, Budap. 1898 p. 80 adn. 4.

[2]) vs. 38.

[3]) vs. 77 sq.: 'Maius parabo, maius infundam tibi
fastidienti poculum.'

[4]) v. Hirschfeldium, l. s. p. 42 adn. 6; Laev. fr. X M = Apul. apol. 30 extr.

[5]) vide supra p. 17 adn. 3. Plin. n. h. XXXII 51: 'mira de iis (rubetis) certatim tradunt auctores, . . ossiculo . . amorem concitari et iurgia addito in potionem, venerem adalligato stimulari'. Grimm, *D. Myth.*[4] II p. 983 affert Bonaventurae centiloquium 1, 29 (opp. ed. venet. 5, 130): 'maleficium est peritia, per quam mulieres faciunt aliquas ligaturas in damnum vel in commodum alicuius, ut de crista galli et de rana.' Videas etiam Cic. de divin. I 15; Hor. epod. V 19; Riessium, s. v. *Aberglaube* p. 70, 57 sqq.

[6]) Rothsteinius ad hunc locum adnotat: *die Schlange, die die Zauberin sciert, um die Knochen als Zaubermittel zu benutzen, vertritt die zauberkräftigen Mächte der Erdtiefe; bei Horaz sat.* I 8. 82 *vergraben die Zauberinnen* lupi barbam variae cum dente colubrae, *und für Medeas Verjüngungstrank bei Ov. met.* VII 272 *wird neben vielen anderen Dingen* squamea Cinyphii tenuis membrana chelydri *verwendet.*

Saepius tamquam huius potionis elementum occurrit τὸ ἱππομανές [1]) quod quid sit trifariam explicatur:

'Ac primum quidem hoc vocabulo humor ex equae, ubi Veneris stimulis incaluit, locis eliquatus intellegitur.' [2]) hoc fecit Vergilius in georg. III 280 sqq.:

'hic demum hippomanes vero quod nomine dicunt
pastores, lentum destillat ab inguine virus,
hippomanes, quod saepe malae legere novercae
miscueruntque herbas et non innoxia verba.'

et Tibullus II 4, 57 sq.:

'et quod, ubi indomitis gregibus Venus afflat amores,
hippomanes cupidae stillat ab inguine equae.'

Prop. IV 5, 18: 'hippomanes, fetae semina equae.'

Ov. am. I 8, 8: 'virus amantis equae.'

Ov. rem. 38: 'nocens [3]) virus amantis equae.'

Aliis locis τὸ ἱππομανὲς significat carunculam, quae in fronte pulli modo editi innata ab equa devoratur.

Verg. Aen. IV 515 sq.:

'Quaeritur et nascentis equi de fronte revolsus
et matri praereptus amor.'

Ov. a. a. II 99 sq.:

'Fallitur, Haemonias siquis decurrit ad artes
datque, quod a teneri fronte revellit equi.'

Lucan. VI 454 sqq.:

'Nec noxia tantum
pocula proficiunt aut cum turgentia suco
frontis amaturae subducunt pignora fetae.'

Denique herba est equabus rabiem suscitans, quam primus Theocritus [4]) commemoravit, sed poetae Romani hoc Theocriti inventum non receperunt. Iam vero, cum sermo nos deduxerit

---

[1]) v. Laev. fr. X M = Apul. apol. 30 extr.: 'hinnientium dulcedines'.

[2]) Sic U. Kehr, l. s. p. 18; vide praeterea P. Brandt in editione artis amatoriae Ovidianae (Lipsiae 1902) ad v. II 100 app.

[3]) Nocere proprium verbum rei magicae esse monet L. Dissen ad Tib. I 8, 23 'quid queror heu misero carmen nocuisse, quid herbas?'

[4]) II 48:

ἱππομανὲς φυτόν ἐστι παρ' Ἀρκάσι· τῷ δ' ἐπὶ πᾶσαι
καὶ πῶλοι μαίνονται.

ad herbae commemorationem, de herbis magicis[1]) fusius loquamur. Saepissime eae apud Romanorum poetas occurrunt.

Tibullus maestus rogat Marathum I 8, 17 sq.:

'num te pallentibus herbis
devovit tacito tempore noctis anus?'

Cynthiam nobis fingit Propertius metu affectam, ne aemula herbis poetae amorem a se averterit. itaque queritur III 6, 25:

'non me moribus illa, sed herbis improba vicit'.

Idem poeta umbram amatae acerbius facit dicentem IV 7, 71 sq.:

'tibi nunc mandata damus, si forte movebis,
si te non totum Chloridos herba tenet.'

Ovidius (med. 35 sq.) explicat se amore puellarum, quarum facies[2]) atque forma bene sunt cultae inflammatum esse potius quam coactum

'fortibus herbis,
quas maga terribili subsecat arte manus.'

ib. 37 sq. puellas adhortatur:

'nec vos graminibus, nec mixto credite suco.'

iterumque monet a. a. II 105 sq.:

'nec data profuerint pallentia philtra[3]) puellis:
philtra nocent[4]) animis vimque furoris[5]) habent.'

Herbae eodem quo ad amorem concitandum modo ad amorem solvendum quoque adhibebantur. Tibullus rebus amatoriis magicis maxime in carminibus obnoxius affirmat his ipsis verbis de maga I 2, 59 sq.:

'Haec eadem se dixit amores
cantibus aut herbis[6]) solvere posse meos,'

quibus versibus opponam

---

[1]) De vi certarum herbarum magica videas Hirschfeldium, l. s. p. 42.

[2]) v. Tib. I 8, 24: 'forma nihil magicis utitur auxiliis'.

[3]) Schol. in Theocr. II 1 *φίλτρα· τὰ πρὸς φιλίαν ὀτρύνοντα φάρμακα.*

[4]) v. supra p. 28 adn. 3.

[5]) Memineris Lucullum atque Lucretium poetam poculis amatoriis ut putabant dementes esse factos. v. Hirschfeldium, l. s. p. 17. Simile quid Suet. Calig. 50 et Joseph. ant. XIX 2, 4 de Caligula referunt.

[6]) Saepius coniuncta 'carmina et herbas' legis; v. Kehrium, l.

Prop. II 4, 17 sq.:

'non hic herba valet, non hic nocturna Cytaeis
non Perimedeae gramina cocta manus.'

quo loco poeta herbis vim, qua possit sanari i. e. amore liberari,[1]) inesse plane negat. eodemque modo dicit II 1, 51 sqq.:

'Seu mihi sunt tangenda novercae pocula Phaedrae
pocula privigno non nocitura suo,
seu mihi Circaeo pereundum est gramine, sive
Colchis Iolciacis urat ahena focis.'

Poeta longe Roma absens queritur (I 12, 9 sq.), quam celeriter in Cynthiae oblivionem venerit, atque dubitans num deo an magae sit invidia factum interrogat:

'Num me deus obruit? an quae
lecta Prometheis dividit herba iugis?'

Ad amorem et excitandum et solvendum venena nimirum adhibentur: hoc vocabulo potiones amatoriae vocabantur ab eis, quibus nocebant. quod non semper ita fuisse demonstravit Franciscus Skutsch[2]), qui ex voculae *venenum* veriloquio conclusit ea 'nihil aliud ab initio fuisse, nisi medicamenta vel venustatis vel amoris incremento inservientia.'

Exempla afferam Hor. epod. V 61 sq.:

'Quid accidit? Cur dira barbarae minus
venena Medeae valent?'

Tib. II 4, 55 sqq.:

'quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,
quidquid et herbarum Thessala terra gerit ...
mille alias herbas misceat illa, bibam'

atque Ov. am. III 7, 27 sq.:

'num mea Thessalico languent devota veneno
corpora?'

---

s. p. 17 adn. 3; facile loci ibi allati possunt augeri v. g. his: Verg. georg. III 283; Tib. I 8, 17 et 23.

[1]) Prop. III 24, 9 commemorat mala amatoria 'quae mihi non patrii poterant avertere amici'.

[2]) Commentationis, quam scripsit 'de nominibus Latinis suffixi NO ope formatis' p. 9. Vide etiam P. Huvelin, *la notion de l'iniuria dans le très ancien droit romain*, *Annales de l'université de Lyon* 1903, p. 64 adn. 3.

Expedita tali modo poetarum memoria restat ut addamus papyrorum magicarum praecepta, quibus edoceamur amoris potiones similem in modum componi atque in illorum poetarum carminibus.

Ac primum quidem breviter commemorem ad amorem solvendum nobis tradi praecepta tria, quae iam satis emendate edita sunt ab A. Dieterich. cum his remediis amoris nihil novi edoceamur, non est cur exscribantur; sunt autem haec: Pap. Lugd. J 384, XI 15 sqq. et XV 25 sqq.; Pap. Lugd. J 395 p. 188, 1 sqq.

Item ab eodem viro docto iam explanata est descriptio quaedam potionis, qua cupido excitetur, pap. J 395 VIII 8 sq. p. 192:

φίλτρον πότιμον· λαβὼν σφηκαλέοντας τοὺς
ἐν τῇ ἀράχνῃ, λειώσας ἐπὶ πότον δὸς πιεῖν.

Sed haec minora sunt. Transgrediamur iam ad maiora. *Φίλτρου ποίησιν* tradit pap. mus. Brit. CXXI 393 W (385 K) sqq.:

Ποίημα καλόν. ἐπὶ ποτηρίου λέγε ἑπτάκις καμωπι . . . τροτη
ρωδοχ . . . ι καμψας ερεκιν ποθηξας ερατευν
μορφος χαρις φαφιετι εισιω βουβαστι ποθωπι 395 W
ἐξορκίζω ὑμᾶς ἅγια ὀνόματα τῆς Κύπριδος, ὅπως
ἐὰν κατάβατε εἰς τὰ σπλάγχνα τῆς δεῖνα ἣ δεῖνα ποιῆσαι 5
φιλοῦσαν (κοινόν).

vs. 1 sqq. *καμωπι . . . . ροιη ρωδοχ . . . καλψας ερεκιν παθηξας ερατευν μορφνς χαρις φαφιεγι εισιω βουβαστι ποθωπι* K. fortasse fragmenta hymni sunt in Venerem dicti. 5 *κατα̣βατε* P *κατάβητε* W, at vide eiusdem papyri vs. 314 (= 305 K) *μὴ παραμείνατε. σπλαγχα* P. *ποιησας* P, *ποιῆσαι* W. *φιλ'* P, *φιλεῖν* W, *φιλοῦσαν* ego.

Cui praecepto asseram eiusdem papyri versus 709 W (643 K) sqq.:

Ποίημα λίαν θαυμαστόν. λόγος λεγόμενος εἰς τὸ ποτήριον· λέγε
ἑπτάκις.
σὺ εἶ οἶνος οὐκ εἶ οἶνος ἀλλ' ἡ κεφαλὴ τῆς Ἀθηνᾶς, 710 W
σὺ εἶ οἶνος οὐκ εἶ οἶνος ἀλλὰ τὰ σπλά[γ]χνα τοῦ Ὀσίρεως
τὰ σπλάγχνα τοῦ Ἰάω πακερβηθ: — σεμεσιλαμ [1])
ωωω ι, παταχναι ααα καταναγκας αβλαναθαναλβα 5

[1]) De voce *σεμεσιλαμ* v. Wuenschium, Defixion. tab. Attic. praef. p. XX.

ακραμμιαχαμαρει εθε δ ἐπὶ τῆς Ἀνάγκης τεταγμένος
Ἰακοὺβ ιαιβω Σαβαὼθ Ἀδωναι Ἀβρασάξ ἐφ' ἧς ὥρας 715 W
ἐὰν καταβῇς εἰς τὰ σπλάγχνα τ[ῆς] δεῖνα, φιλησάτω
με τὸν δεῖνα τὸν ἅπαντα τῆς ζωῆς αὐτῆς χρόνον.

vs. 3 *οσιρειος* W, *οσιρεως* K. vs. 5 sq. formulae magicae per compendia scripta sunt, quae ego solvi ad eiusdem papyri v. 320 W. *εεε ὁ* K, fortasse *εσε* ut v. 321 W. 7 *ιαιβιω* W, *ια ιαω* K. in extremo versu lineolam non vidit K. 8 *καταβης* W, *καταβη τ[οδ]* K. *τ[ῆς]* W, *[η]* K. 9 . . *απ* . . *τκ* . . *η. αυτης χρονον* K.

Omittamus deinde eiusdem papyri versus 726—729 W (= 661—663 K), quoniam, quamvis ibi de philtro quodam agatur, tamen nihil memoria dignum profertur, et inspiciamus multo digniores qui afferantur versus 686 W (620 K) sqq.:

Κυνοκεφάλαιον βοτάνην λαβὼν κάτεχε ὑπὸ τὴν γλῶττάν σου
καὶ πρωῒ ἀναστὰς πρὶν λαλῆς ἐπίλεγε τὰ ὀνόματα καὶ ἀθεώρητος
ἔσῃ πρὸς πάντας. ἐπὰν δὲ ἐπὶ ποτήρια εἴπῃς καὶ δώσῃς
γυναικί, φιλήσει σε ὡς ἔστιν. ἐπὶ πά[ντ]ων λόγος οὗτος·
5 *αρεσκιλλιους: θουδαλεσαι κραμμ[αχαμαρ] ειχαμμαρ* 690 W
μου λαβωθ : λααβαρ : χουφαρ : φο[ρβα] φωρβαω : σαχι
αρβαχ : μαχιμασω Ἰάω Σαβαὼθ Ἀδωναι πρὸς ὃ θέλεις
λέγε· ποίησον τὴν δεῖνα πρὸς τὸν δεῖνα, κοινὰ ὅσα θέλεις.

1 *κυνοκεφαλ[ι]διον* K. *κάτεχε* ego; in legenda voce dubitavit W, *κειεχε* K. 2 *αναστα* P, *ἀναστάς* ego. 3 *εσει* P quod mutavi. 4 *φιλησι λεγε εως* K. *επι παν[τα τ]ον* K. *ουτως* K. 5 *κραμμ . . . σι* K. 6 *λαναβαρ* K. *φο . . φωρβαω* K.

Absolvimus tandem sermonem de rebus ad ipsam actionem amatoriam validis institutum. Nunc est dicendum de altera magiae parte, in arte amatoria non minus quam in necromantea adhibito: de carmine magico.

Qua in re omittamus locos iam supra[1]) allatos, quibus 'carmen et herba' coniuncta commemorantur, et eos tantum inspiciamus quibus carmina sola inveniuntur. Sunt autem hi:

Tibullus gloriatur de saga I 2, 53:

'Haec mihi composuit cantus, quis fallere[2]) posses (sc. amata coniugem).'

[1]) v. p. 29 adn. 6.

[2]) Vide similem artem apud Prop. IV 5, 15: 'posset (saga) et intentos

Tib. I 5, 41 sqq.:

'tunc me discedens devotum femina dixit
— a pudet — et narrat scire nefanda meam.
non facit hoc verbis.'

Propertius Tarpeiam amore Tati incensam fingit vociferantem IV 4, 51:

'O utinam magicae nossem cantamina Musae.'

Ov. her. VI 83:

'nec facie meritisve placet, sed carmina novit (paelex).'

idem de Dipsa narrat am. I 8, 5:

'illa magas artes Aeaeaque carmina novit.'

Senec. Herc. Oet. 464 (nutrix):

'flectemus illum (Herculem), carmina invenient iter.'

Lucan. VI 452 sqq.:

'Carmine Thessalidum dura in praecordia fluxit
non fatis addictus amor, flammisque severi
inlicitis arsere senes.'

Talium carminum luculentissimum exemplum eclogae VIII inseruit Vergilius inde a vs. 67. Cuius notissimus est versus [1])

'limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit.'

Habemus iterum magiam *συμπαθείας*, de qua iam semel actum est. [2]) Eius potestate arcana actionis magicae vis augetur, cum tres nodi ternis coloribus nectantur, simul hac formula dicta (Verg. ecl. VIII 78):

'Veneris [3]) vincula necto'.

Verg. ecl. VIII:

'ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnim'

versu novies repetito [4]) magica actio adiuvatur eodem modo, quo vs. 109 inhibetur:

---

astu caecare maritos'; Lucian. Alex. 50 in oraculo quod marito de uxore et adultero redditur:

Ἀλλ' ἐπὶ σοὶ δὴ φάρμακ' ἀπ' αὐτῶν ἴυγρὰ τέτυκται,
ὡς μήτ' εἰσαῖοις μήτ' εἰσοράοις ἃ ποιοῦσιν.

[1]) Verg. ecl. VIII 80; v. R. Heim, incant. mag. gr. lat. (Fleckeis. annal. suppl. XIX 1893 p. 544 sqq.); Sutphen, l. s. p. 318 sq.

[2]) Supra p. 19.

[3]) v. Theocr. II 30.

[4]) v. Theocr. II versus decies repetitur *ἴυγξ, ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.* v. Heimium, l. s. 145 p. 511 et Sutphenium, l. s. p. 321.

'Parcite, ab urbe venit, iam parcite carmina, Daphnis.'

Exemplum incantamenti, quo numina ad amatoriam artem magicam perficiendam invocantur unum tantum apud illos poetas invenies, nempe Horatii epod. V 49 sqq.; ubi Canidia orat:

'O rebus meis
non infideles arbitrae,
Nox [1]) et Diana,[2]) quae silentium regis,
arcana cum fiunt sacra,
nunc nunc adeste, nunc in hostiles domos
iram atque numen vertite.
Formidulosis dum latrent silvis ferae
dulci sopore languidae,
senem, quod omnes rideant, adulterum
latrent Suburanae canes,
nardo [3]) perunctum, quale non perfectius
meae laborarint manus.'

Praeter numina terrae haud raro Manes [4]) ipsi invocantur. neque tamen est cur Horatio vitio detur, quod serm. I 8 hac de incantatione nihil dicit. Iure E. Riess (Mus. Rhen. XLVIII 1893 p. 308) contra H. Düntzer (Fleckeis. annal. 1892, 577 sqq.) adnotat: *Darin dass Priapus nichts von dem Anrufen der Manes sagt, vermag ich ebensowenig eine Ungehörigkeit zu sehen. Das war so selbstverständlich, dass der Dichter darüber schweigen konnte, um so mehr als er das Gebet an Hekate und Tisiphone (vs. 34) ja erwähnt, mit dem die Beschwörung der Gespenster verbunden sein mochte.*

Mirum in modum nullo loco apparet Venerem esse advocatam, id quod expectaremus ex Apulei apol. 31: 'ut solebat ad magorum cerimonias advocari . . . illex animi Venus [5]) et

---

[1]) v. Ribbeck, TRF [3] p. 294 frg. inc. LXXI: 'Erebo creata fuscis crinibus Nox, te invoco'; Ov. met. VII 192 sq.: 'Nox : . arcanis fidissima . . . astra.'

[2]) v. Theocr. II 10 sq. *ἀλλὰ Σελάνα φαῖνε καλόν*, ib. 14: *χαῖρ' Ἑκάτα.* Verg. Aen. IV 511: 'tergemimamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.' Ov. l. s. 194: 'tuque triceps Hecate, quae coeptis conscia nostris.' v. Hor. serm. I 8, 33, Apul. apol. 31: 'Luna noctium conscia.'

[3]) Videas quae adnotavit L. Müller in commentar. p. 436.

[4]) Ut in necromantea; v. supra p. 11 adn. 2 13 adn. 1.

[5]) Vide tamen Verg. ecl. VIII, 78 'Veneris vincula'.

Luna noctium conscia et manium potens Trivia.' Sed Veneri cum his inferorum incantamentis rei nihil erat.

Absolutis sacrificiis carminibusque amatoriis restat ut dicamus de phylacterio.

Ne alterius veneficae [1]) artibus turbetur [2]) actio magica, Canidia eiusque ministra (Hor. serm. I 8, 42 sq.):

'lupi barbam [3]) variae cum dente colubrae [4])
... furtim [5]) terris (abdunt).'

Ne res magica impediretur, puer quem Canidia eiusque ministra sunt necaturae [6]) bulla atque praetexta privatur ('insignibus raptis' Hor. ep. V 12).

Apud Tibullum (I 2, 54) dictis carminibus despuitur, ne quid mali forte occurrens turbet incantationem aut frangat:

'Ter cane, ter [7]) dictis despue [8]) carminibus.'

Idem legitur Ciris vs. 372:

'Ter in gremium mecum .. despue.'

Finito conspectu rerum magicarum, [9]) quas ad amorem commovendum poetae usui esse putabant, liceat afferre ad imaginem adumbrandam vel clarius delineandam Papyri Parisinae vs. 2891 sqq., quibus traduntur haec:

Ἀγωγὴ πρὸς τὸν ἀστέρα [10]) *τῆς Ἀφροδίτης.*
ἐπίθυμα περιστερᾶς λευκῆς αἷμα καὶ στέαρ,

[1]) Ut Hor. epod. V 71 sq.:
'a, a, solutus ambulat veneficae | scientioris carmine.'

[2]) Vide supra p. 13, quo loco invocatur Cerberus, ne necromanteam impediat.

[3]) v. Plin. n. h. XXVIII 157: 'veneficiis rostrum lupi resistere inveteratum aiunt ob idque villarum portis praefigunt.' v. supra p. 27 adn. 6.

[4]) v. Plin. n. h. XXVIII 31.

[5]) Riess, Mus. Rhen. XLVIII 1893 p. 309 adn. 3.

[6]) Supra p. 16 adn. 2. [7]) v. Kehr, l. s. p. 15; supra p. 20 adn. 2.

[8]) De salivae in re magica usu videas Kehrium, l. s. p. 16; Wuttke-Meyer, l. s. p. 184; W. Nicholson, *The Saliva Superstition in Classical Litterature, Harvard Studies* VIII 1897 p. 23—40.

[9]) Postquam haec typis sunt mandata, in manus meas venit dissertatio, quam scripsit Ricardus Dedo, de antiquorum superstitione amatoria, Gryphiae 1904.

[10]) v. Ov. met. VII 192 sq.:
'Nox .. arcanis fidissima, quaeque diurnis
aurea cum luna succeditis ignibus, astra.'

ζμύρνῃ ὠμῇ καὶ ὀπτῇ ἀρτεμισίᾳ ὁμοῦ ποίει κολ-
λούρια καὶ ἐπίθυε πρὸς τὸν ἀστέρα ἐπὶ ἀμ-
πελίνων ξύλων ἢ ἀνθράκων, ἔχε δὲ καὶ ἐγ- 2895 W
κέφαλον γυπὸς εἰς τὸν ἐπάναγκον, ἵνα ἐπι-
θύῃς, ἔχε δὲ καὶ φυλακτήριον θηλείας ὄνου
ὀδόντα τῶν ἄνωθεν δεξιοῦ σιαγονίου ἢ μόσχου
πυρροῦ ἱεροθύτου ἀριστερῷ βραχίονι ἀνου-
βιακῷ ἐνδεδεμένον. 2900 W

Ἐπάναγκος[1]) τῆς πράξεως.

Εἰ δὲ καθὼς θεὸς οὖσα μακρόψυχόν τι ποιήσῃς,
οὐκ ὄψει τὸν Ἄδωνιν ἀνερχόμενον Ἀίδαο
εὐθὺς τοῦτον ἐγὼ δήσω δεσμοῖς ἀδάμασσιν 2905 W
φρουρήσας σφίγξω Ἰξιόνιον τρόχον ἄλλον,
κοὐκέτι πρὸς φάος εἶσι κολαζόμενός τε δαμεῖται.
ἆξον ἄνασσ' ἱκετῶ τὴν δεῖνα τάχιστα μολοῦσαν
ἐλθεῖν ἐν προθύροισιν ἐμοῦ φιλότητι καὶ εὐνῇ 2910 W
οἴστρῳ ἐλαυνομένην καὶ ἐμοῦ κέντροισι βιαίοις,
σήμερον, ἄρτι, τάχιστ', ὁρκίζω γάρ σε Κυθήρη.
Ἀφρογενὲς Κυθέρεια, θεῶν γενέτειρα καὶ ἀνδρῶν, 2915 W
αἰθερία, χθονία, φύσι παμμήτωρ ἀδάμαστε,
ἀλλήκτου τε πυρὸς μεγάλου περιδινήτειρα,
ἣ τὸν ἀεικίνητον ἔχεις περιδινέα Βάρζαν[2])

vs. 8 *σιαγονίου* correctum ex *σαγωνιου* P a Friderico Fischer philologo Gissensi. vs. 12—41 iam constituit Wessely p. 28. vs. 13 *οψη* P, *ὄψει* mutavit W. vs. 14 *ευθυδραμενη δη τουτον* P, *ἐνδραμένῃ τοῦτον* W, correxi ego. in vs. 14 sqq. carminis versus heroici a papyri versuum numero discrepant. vs. 16 *ηξει* P, *εἶσι* em. W. vs. 17 *διο ποιησον ανασσα ἱκετω αξον την δεινα ην δεινα* P, *ἆξον ἄνασσ' ἱκετῶ τὴν δεινα* em. W. *την δεινα ην δεινα* P significat *τὴν δεινα ἣν ἔτεκεν ἡ δεινα*, v. Kuhnert, Mus. Rhen. IL 1894 p. 50 adn. 9. vs. 18 *εμου του δεινα ου η δεινα φιλοτητι* P, *ἐμοῖς φιλότητι* W. vs. 19 *ελαυνομενην κεντροισι βιαιοις υπ αναγκη·* P, *ἐλαυνομένην μὲν ἐμοῦ κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης* W, *ἐλαυνομένην καὶ ἐμοῦ κέντροισι βιαίοις* ego. vs. 20 post *κυθηρη* praebet P verba quaedam magica atque *επαναγκος*, quae cum Wesselio omisi. vs. 23 *αλληλουχα* P, *ἀλληλοῦχε* W, *ἀλλήκτου τε* ego. vs. 23 *περιδεινητειρα* et 24 *περιδεινεα* P, corr. W.

---

[1]) De hac voce vide infra p. 53 sqq.

[2]) Est intellegenda stella; v. nomen regis Armeniae *Βαρζάνου*

ἄρρηκτον· σὺ δὲ πάντα τελεῖς κεφαλήν τε πόδας τε 2920W
σαῖς τε θελημοσύναις περιμίγνυται ἱερὸν ὕδωρ,
ἡνίκα κινήσεις τὸν ἐν ἄστροις χείρεσι Ῥουζώ[1]),
ὀμφαλὸν ὃν κατέχεις κοσμοῦ κινεῖς τε τὸν ἄγνόν,
ἐντείνεις ἀνδρῶν ψυχὰς ἐπί τ' ἄνδρα γυναῖκας,
κἀνδρὶ γυναῖκα τίθης σὺ ἐράσμιαν ἵματα πάντα 2925 W
ἡμετέρη βασίλεια θεὰ μόλε ταῖσδ' ἐπ'ἀοιδαῖς
πότνια . . . . . Κυπρογένεια
καὶ τῇ δεῖνι ἄνασσ' ἱκετῶ πῦρ ἔμβαλ' ἔρωτος 2930 W
ὥστ' ἐπ' ἐμοῦ φιλότητι τακήμεναι ἵματα πάντα.
σὺ δέ, μάκαρ Ζουρώ, τάδε νεῦσόν μοι καλέοντι·
ὡς σὸν ἐν ἄστροις στῆναι τὸν ἐς χορὸν οὐκ ἐθέλοντα
ἦξες πρός τε χοροὺς ἦξές τ' ἐπὶ λεκτρὰ μιγῆναι, 2935 W
ἀχθεὶς δ' ἐξαπίνης καὶ τὸν μέγαν ἔστρεφε Βάρζαν,
στρεφθείς τ' οὐκ ἀνέπαυσέ θ' ἑλισσόμενός τε δονεῖται,
ἄξόν μοι τὴν δεῖν' ἱκετῶ φιλότητι καὶ εὐνῇ·
ἀλλὰ σὺ Κυπρογένεια τέλει τελέαν ἐπαοιδήν.

vs. 28 *ομφαλος* P, *ὀμφαλὸν* W. *κοσμου*, non *κοσμος* legi in P affirmat W Progr. *κινεις δε το αγνον·* P, *κινεῖς τε τὸν ἁγνὸν* em. W. vs. 29 *ε . . νεις* P, *ἐντείνεις* W. *επι δ' ανδρα* P, *ἐπί τ' ἄνδρα* W. vs. 30 *τιθησι* P, *τίθης σὺ* em. W. *ερασμιαν* P, *ἐράσμιον* W. vs. 31 *ημετερε* P, *ἡμετέρη* W. vs. 32 *ποτνια αρρωριφρασι γωθητινι κυπρογενεια* P, *πότνια κυπρογένει' Ἀρορίφρασι Γωθητίνι* W. vs. 33 *σονϊηςθνοβοχαν· θοριθειθεν επιω ανασσα σερθεν εβηηϊ. και τω δεῖνα ην δεῖνα βαλε πυρων ερωτα* P, versum constituit W. vs. 34 *ωστ επ εμου του δεῖνα ου η δεῖνα· φιλοτητι* P, *ὥστ' ἐπ' ἐμοῦ φιλότητι* W. *ταγηναι* P, *μιγήμεναι* W, *τακήμεναι* ego. vs. 35—37 *συδε μακαρ ζουρω ταδε νευσον εμοι τω δεῖνα ως σον εν αστροις ες χορον ουκ εθελοντα ηξες επι λεκτρα μιγηναι* P, versus constituit Wuenschius. vs. 39 *ανεπαυσετ'* P, *ἀνέπαυσέ θ'* W. vs. 40 *διο αξον μοι* P, *ἄξον μοι* W. *την δεῖνα ην δεῖνα φιλοτητι* P, *τὴν δεῖν' ἱκετῶ φιλότητι* em. W. vs. 41 *συδε κυπρογενεια θεα* P, *ἀλλὰ σὺ Κυπρογένεια* W.

Diod. II 1. *barza* lingua Persica 'lux splendida' significare videtur, F. Cumont, Mithra II p. 83 adn. 1.

[1]) v. vs. 35 *ζουρω*, qua voce fortasse eadem radix continetur ac nomine Persico *Ζωροάστρης*.

CAPVT TERTIUM

CONCLUSIO

Utroque capite absoluto iure quaesieris qui nexus intercedat inter poetarum carmina, quatenus rem magicam spectant, et papyrorum praescripta. Cui quaestioni si respondere volumus, prius indagemus necesse est, unde sumpserint illorum temporum poetae apparatus magicos sive fusius descriptos sive obiter commemoratos. Qua in disquisitione iamdudum animadversum est talia non esse ficta [1]) a poetis neque omnino aliena esse a descriptionibus re vera magicis, ita ut sint minime habenda in fabularum numero tamquam orta e poetarum ingenio eorumque arbitrio permissa.

Quod si pro vero accipimus, ipsam quaestionem adeuntibus patent viae diversissimae, cum suo quisque modo poeta scientiam magicam sibi comparare potuerit. Quare ad responsum quod omnibus sufficiat inveniendum uniuscuiusque poetae doctrina est segreganda atque per se tractanda, neque solum amatoriae artis magicae atque necromanteae testimonia sunt adhibenda, sed etiam auxilium petendum est a locis, quibus similia genera artis magicae commemorantur.

Ac primum quidem quaeramus, unde sumpserint Vergilius Horatius Tibullus Propertius Ovidius doctrinam suam, qua

[1]) Imprimis de eis quae exhibet Lucanus libro sexto dixit L. Friedlaender in libro qui inscribitur *Darstellungen aus der Römischen Sittengeschichte* III[6] p. 768: *Die Beschreibung der Totenbeschwörung selbst macht auch an und für sich betrachtet nicht den Eindruck eines blossen Phantasiegebildes. Ihre Einzelheiten lassen sich fast Punkt für Punkt aus anderen ähnlichen Schilderungen belegen.*

instructi imprimis amatoriam artem magicam descripserint, quippe apud quos necromantea rarius commemoretur; tum adeamus Senecam Lucanum Valerium Statium, qui in necromantea describenda magis versati sunt quam in amatoria arte magica.

In universum spectanti est praemittendum his poetis omnibus haud ignotam fuisse Homeri necyiam (Od. XI) atque Theocriti pharmaceutrias (id. II), quas veste atque loco mutatis accommodatas rebus Romanis et insertas carminibus Romanis passim videmus. Necyiae Homericae exempla collegimus supra p. 5 sqq., Theocriti imitationem praebet Vergilius ecl. VIII [1]) adeo planam, ut non sit opus magicum apparatum utriusque carminis exscribere.

Sed iam ad singula transeamus et ordiamur a Vergilio. De notissimo illo loco Vergiliano Aen. IV 478 sqq., quo Dido ab Aenea relicta sacrificium parat, ut amor funestus extinguatur, Hirschfeldius [2]) dicit haec 'eadem, quae in propriis sacris amatoriis, nobis occurrunt: excitantur dii inferi, imprimis tergemina Hecate, incenduntur herbae pubentes, aeneis falcibus ad lunam messae; commemorantur hippomanes aliaque eiusmodi permulta'. 'Eodem modo incantamenta herbasque ad res magicas adhibitas poeta commemorat Aen. VII 750 sqq.' [3])

Quibus locis nihil fere nisi usitatissimae res exhibentur, quas quivis Romanus illis temporibus noverit. Paulo graviora poeta praebet Aen. VI 242 sqq., quo loco (vs. 255 sqq.) Hecate [4]) coniuratur et invocantur inferorum numina (264 sqq.).

Sed ne haec quidem intimam rerum magicarum scientiam redolent, quare in Vergilio libenter concedo posse dubitari utrum res magicae haustae sint e vulgari magiae cognitione an descriptae adhibito auxilio nescio quo. Tamen, reliquos si spectamus auctores, in hanc sententiam inclinem. [5])

[1]) Vide Plin. n. h. XXVIII 19: 'Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit. . . . Hinc Theocriti apud Graecos, Catulli apud nos proximeque Vergilii incantamentorum amatoria imitatio.'

[2]) l. s. p. 20.

[3]) Hirschfeld, l. s. p. 20.

[4]) v. supra p. 6 et 10sq.; 34 adn. 2.

[5]) v. Norden in commentario ad Verg. Aen. VI p. 195: *Dass (Vergil)*

Multo ampliorem enim rerum magicarum scientiam prae se ferunt Horatius Tibullus Propertius Ovidius una et mente et voce in describendis magarum artibus consentientes, quam licet sua quisque ratione sibi paraverit, altius certe hac arcana disciplina imbutus fuit quam Vergilius.

Ut primum de Horatio dicamus, tribus carminibus facile perspicere possumus, unde poeta habuerit quo artem a Canidia eiusque ministra factitatam describeret. Ex serm. I 8, epod. V, XVII carminibus narratione minutissima et accuratissima ornatis satis apparet Horatium si non vidisse [1]) sagarum actiones magicas, tamen fando audisse aut id quod veri est simillimum ante oculos habuisse librum aliquem tales actiones describentem.[2])

Cuius autem generis Horatii exemplaria fuerint, statim intellegemus, cum ad poetas elegiacos nos converterimus. Apud illos enim res magicae semper nobis occurrunt coniunctae cum meretricum amore, huius autem amoris descriptionem ductam esse e Graecorum carminibus satis constat. Imprimis ex Atticorum comoedia hauserunt Romanorum elegiaci.[3]) Ab hac autem rerum magicarum descriptio minime erat aliena. Videmus praestigiatores in scaenam procedere apud Aristomenem (*Γόητες*, Com. att. frg. ed. Kock I 691), audimus ex Hecata,[4]) sagarum dea, comoedias inscribi Nicostrati et Diphili

---

diese Litteraturgattung (sc. *die Zauberlitteratur*), *die sich besonders seit der hellenistischen Zeit einer grossen Beliebtheit erfreute, so gut bekannt war, wie dem Verfasser der Dirae und anderen Dichtern der augusteischen Zeit, vor allem Horaz in den Canidiagedichten, beweist ja ausser der* 8. *Ekloge auch die mit intimster Kenntnis dieser Dinge gedichtete μαγικὴ πρᾶξις im Didobuch* 478 ff. — v. etiam ibid. p. 204.

[1]) v. epod. XVII 77 Canidia de Horatio:

'ut ipse nosti curiosus.'

[2]) E. Riess, *Zu den Canidiagedichten des Horatius*, M. Rh. XLVIII 1893 p. 310 recte iudicat, cum dicit de sat. I 8: *Horatius hat, doch wohl nach einer Vorlage, ganz getreu zwei Zauberhandlungen geschildert.*

[3]) v. Fr. Leo, *Plautinische Forschungen* 1895 p. 129 sqq., Mus. Rhen. LV 1900 p. 604 sqq., V. Hoelzer, de poesi amatoria a comicis atticis exculta, ab elegiacis imitatione expressa, diss. Marb. 1899, al. Lucani dial. mer. IV, ad quem testem saepius provocavimus, e comoedia transscriptum esse constat: v. Kock CAF III p. 660 sq.

[4]) Simile argumentum habuit Sophronis *Ταὶ γυναῖκες αἱ τὰν θεὸν φαντὶ ἐξελᾶν*, de qua egit R. Wünsch, *Festschr. für C. F. W. Müller* p. 111 sqq.

(Kock II 223 et 548); in Menandri Thessala descriptas fuisse testatur Plinius (h. n. XXX 7) 'ambages feminarum detrahentium lunam'. Luculentissimum denique exemplum est Alexidis *Μανδραγοριζομένη* (Kock II 347), h. e. femina philtrum pota, qua in comoedia magiae amatoriae uberior expositio infuisse videtur.[1])

Quae cum ita sint, pro certo habebimus Tibullum Propertium Ovidium descripsisse magicas res[2]) secundum exemplum poetarum Graecorum, imprimis Atticos comicos imitando. praeterea fieri potuisse ut suis oculis actiones quasdam magicas viderent nemo erit qui negabit.

Nunc contemplemur alterius generis magiam, qua in enarranda praecipue versabantur Seneca Lucanus Valerius Statius, dico necromanteam.[3])

Ad quam si accedimus, Senecae (Oed. 530sqq.) et Statii (Theb. IV 419 sqq.) descriptiones coniunctae sunt tractandae, quoniam 'mirum in modum inter se congruunt et verborum et rerum inventione', ut docuit Liedloff[4]) quam comparationem cum idem vir doctus optime persecutus sit, non est cur actam rem agam.

De Valerio Flacco, cum unus sit huius poetae locus I 735 sqq. hanc ad rem pertinens, nihil dici potest, nisi talia a quolibet illorum temporum poeta componi potuisse secundum vulgatam rerum magicarum notitiam. Si vero de fonte aliquo litteris perscripto cogitare mavis, te moneam Valerio, qui aeque ac Statius post Lucanum scripsit, non ignotum fuisse Lucani librum sextum.

Manifestiora certioraque possunt proferri de Lucano,

---

[1]) Omnino si quis hanc materiam porro tractaturus est, copiosam inveniet materiam, quam investigare consulto omittere debebam, ne a proposito abducerer.

[2]) Qui his in describendis quantum in modum inter se discrepent demonstravit I. Bruns, l. s. p. 210sqq.

[3]) Hanc quoque in Atticorum comoedia fuisse tractatam probatur Decimi Laberii mimo *Νεκυομαντεία* inscripto (Com. rom. fr. ed. Ribbeck[3] p. 351) ad graecum exemplar expresso (Kock III 701).

[4]) p. 19. Liedloffius communem utriusque fontem statuit, quem tamen Ponticum (p. 21) esse quis est qui credat?

ad quem iam transeamus. Eius libro sexto tanta rerum magicarum multitudo in unum coacta exhibetur, ut valde sit operae pretium investigare, unde a poeta sit sumpta.

Iam primo secundoque capite cum suo loco plura e Lucano allata sint testimonia, haud scio an iam illis locis perlectis miratus sis, quanta rerum magicarum doctrina Lucanus omnes poetas, qui vel antea vel postea magicas res descripserunt, superaverit. Maiorem in modum miraberis, cum perlustraveris numerum, quem nunc afferemus rerum magicarum, quas ad illustrandas commentarium paene perpetuum addidi e similibus descriptionibus compositum. neque enim alio modo fieri potest, ut de Lucani fontibus certius aliquid statuamus.

Argumentum est hoc: Sextus nefarius Pompei filius Erichthonem [1]) magam Thessalam adit, ut futura cognoscat. Saga ei respondet hominem modo defunctum [2]) esse suscitandum, qui futuras res aperiat. Versibus 525 sqq. poeta magam crudelissimam foedissimamque describit, dum per enumerationem enarrat res a saga ipsa undique collectas.

Primo loco nominantur ignes atque tura ad suffimentum necessaria vs. 525 sq.:

'funereas aris inponere flammas
gaudet et accenso rapuit quae tura sepulcro'.

funeri vel sepulcro [3]) haec desumpta sunt, ut apud Senecam Oed. 550 sq.; 'rapti rogis iaciuntur ignes' et ipsum Lucanum VI 534 sq.; his enim magna vis magica inesse credebatur, praesertim cum homini violenta [4]) aut praematura morte [5])

---

[1]) De hac maga v. F. v. Duhn, *Bemerkungen zur Würzburger Phineusschale*, *Heidelberger Festschrift zur* 36. *Philologenversammlung* 1882 p. 123.

[2]) Nec iam rite conditum; memineris Od. XI 51 sq.: *πρώτη δὲ ψυχὴ Ἐλπήνορος ἦλθεν ἑταίρου· οὐ γάρ πω ἐτέθαπτο ὑπὸ χθονὸς εὐρυοδείης.* v. ib. vs. 72 et infra p. 51 adn. 5.

[3]) Qua de causa Hesychius veneficas *τυμβάδας* nominat, s. v. *τυμβὰς γυνή· τυμβάδας ἔλεγον τὰς φαρμακίδας ἀπὸ τοῦ περὶ τοὺς τύμβους διατρίβειν καὶ τοὺς νεκροὺς ἀκροτηριάζειν.*

[4]) Lucan. VI 560 sq.: 'Et quotiens saevis opus est ac fortibus umbris, | ipsa facit manes.'

[5]) Vide supra p. 26 adn. 4; de *ἀώροις* Def. tab. Att. praef. p. IV.

interempto essent ereptae. Qua de causa haud scio an fortuito poeta asserat vs. 529 sq.:

'Viventis animas et adhuc sua membra regentis
infodit busto, fatis debentibus annos
mors invita subit',

iterumque paulo post vs. 533:

'fumantis iuvenum cineres[1]) ardentiaque ossa
e mediis rapit illa rogis'.

Simile quid Hypsipyle de barbara paelice dicit, quae (Ov. her. VI 90):

'certa ... de tepidis colligit ossa rogis',

et Hor. epod. XVII 47:

'in sepulcris pauperum prudens anus
novendiales dissipare pulveres',

Hor. serm. I 8, 22: 'ossa legant'.

Sed ad Lucanum revertar. vs. 534 sq.:

'ipsamque, parentes
quam tenuere, facem'

vide Senec. Med. 798 sqq.:

'de medio
rapta sepulcro fax nocturnos
sustulit ignes',

quem locum Lucano ante oculos esse versatum recte monuit C. Hosius *Lucanus und Seneca* (Fleckeis. annal. CXLV 1892 p. 346). Quamquam faces videmus adhibitas etiam apud alios auctores, ut Verg. Aen. VI 223 sq.: 'subiectam more parentum aversi tenuere facem', Lucian. necyomant. c. 7 et philops. 12, quo de usu videas Dielsium *Sibyllinische Blätter* p. 47 sq.

Ad vs. 536: 'feralis fragmenta tori' adnotavi Prop. III 6. 30: 'cinctaque funesto lanea vitta toro' et Pap. Parth. II 48: *ῥάκος ἀπὸ βιαιοθανάτου*, v. ib. 63, 145, 170 sq., quibus locis addam Alex. Trall. I 15: *μονομάχου σφαγέντος ῥάκος ἡμαγμένον*.

Veniamus ad res corporibus terra diu iam conditis depromptas: oculos (vs. 541) atque ungues (542 sq.). His similia inveni tantum apud Apuleium (met. III 17) 'sepultorum etiam

[1]) v. Tac. ann. II 69: 'semiusti cineres . . . aliaque maleficia, quis creditur animas numinibus infernis sacrari.'

cadaverum expositis multis ad modum membris. hic nares et digiti' eqs.

Deinde partes enarrantur corporum, quae sepulcro plane carent [1]) laqueo pendentium aut affixorum cruci. Quorum vim cognoscas ex eo quod Plin. n. h. XXVIII 7 exhibet '(ex calvaria) suspendio interempti [2]) catapotia fecit contra canis rabiosi morsus Antaeus', et e Pallad. I 24, 2 'non pereunt (columbae) et neque locum deserunt, si per omnes fenestras aliquid de strangulati hominis loro aut vinculo aut fune suspendas', et e Papyri Parisinae vs. 1911 sqq., quibus Cerberus invocatur *κατὰ τῶν ἀπαγξαμένων.*

Horum 'insertum manibus chalybem' (Luc. vs. 547) coniungas cum Plini verbis (h. n. XXVIII 46) 'in quartanis (scil. febribus) fragmentum clavi a cruce involutum lana collo subnectunt aut spartum e cruce' et cum Alex. Trall. I 15, quo loco *ἧλος ἐσταυρωμένου* [3]) adhibetur amuleti instar. 'Carnosi clavi pendentium' ab Apuleio (met. III 17) commemorantur. Eucrates apud Lucianum (philops. c. 17) affirmat se a daemonibus non posse terreri, quoniam habeat *τὸν δακτύλιον . . . σιδήρου τοῦ ἐκ τῶν σταυρῶν πεποιημένον.*

vs. 548 'Stillantis tabi saniem'.

Tabum apud Tac. annal. II 69 inveni: 'cineres .... tabo obliti'.

Etiam partes eorum qui non rite sunt conditi [4]) adhibet Erichtho vs. 550 sqq.:

'Et quacumque iacet nuda tellure cadaver,
ante feras volucresque sedet; nec carpere membra

---

[1]) Vagantur illorum animae circa sepulcra, prinsquam ad inferos transeant. itaque inter vivos et inferos sunt tamquam intermediae eamque ob rem aptissimae quorum auxilio res magica agatur. haec e Lucian. philops. c. 29 apparent et ex eis quae explicuit E. Rohde *Psyche*[2] II 412 sq.; invocantur hae animae Defix. tab. Att. XVIII (= *Proceedings* n. I 31) *ἄποροι ταφῆς,* vide etiam ib. p. XXI b med.

[2]) v. cat. cod. astr. Med. cod. 23 p. 53, 6: *πλευρὸν φουρκισμένου.*

[3]) v. Kuhnert, Mus. Rhen. IL 1894 p. 38 adn. 9. L. Blau, *Das altjüdische Zauberwesen* p. 160 adn. 7.

[4]) De his vide Rohdium, l. s. 413 et Steudingium apud Roscherum, *Lexikon der griech. und röm. Mythologie* s. v. Inferi 248, 33 sqq.

volt ferro manibusque suis, morsusque luporum
exspectat, siccis raptura e faucibus artus,'

quibus versibus conferas Hor. epod. V 23:

'ossa ab ore rapta ieiunae canis'

a Canidia usurpata.

Versibus 554 sqq. maga adeo crudelis describitur, cuius

'nec cessant a caede manus, si sanguine vivo
est opus, erumpat iugulo qui primus aperto'.

556 et 557 humani sacrificii vestigium exhibent, quare de eis dixi supra p. 5. neque mulieris ventris partui parcitur (vs. 558 sq.):

'Volnere sic ventris, non, qua natura vocabat,
extrahitur partus, calidis ponendus in aris'.

Trucidati hominis sanguinem ferventem postea quoque adhibitum videbimus, ut maga caesi militis 'pectora suppleat' (vs. 667); tale sacrificium inter usitata certe fuit, licet alterum huius generis exemplum non noverim. Ad partum matris utero ereptum addam exemplum unum tantum ex Eusebio hist. eccl. 8, 14, 5 repetitum, qui Maxentium appellat *μαγικαῖς ἐπινοίαις γυναῖκας ἐγκύμονας ἀνασχίζοντα*. alia veterum testimonia supra p. 5 adn. 3 enotavi. Recentiorum adeas Loewenstimmium p. 122 et J. Hansen, *Zauberwahn, Inquisition und Hexenprozess im Mittelalter und die Entstehung der grossen Hexenverfolgung, Historische Bibliothek* XII p. 379 adn. 3.

Luc. vs. 561:

'Hominum mors omnis [1]) in usu est.'

His verbis quaecumque modo enarraverat poeta comprehendit, qui versibus qui iam sequuntur finem catalogi magici facit iterum partes homini florem aetatis agenti ereptas pro efficacissimis afferens, vs. 562 sq.:

'Illa genae florem primaevo corpore volsit,
illa comam [2]) laeva [3]) morienti abscidit ephebo'.

---

[1]) v. Loewenstimm, l. s. p. 124 sq.

[2]) v. supra p. 26 adn. 3.

[3]) Nam in usu magico fere nihil fit dextra. Vide Sen. Oed. 566 sq.: (Tiresias) 'fundit et Bacchum manu laeva'; Stat. Theb. IV 502; Roscher, s. v. Inferi 246, 30 sqq.; Def. tab. Att. praef. p. IV.

De magica vi capilli exscribam locum Plinianum (h. n. XXVIII 41): 'Capillus puero qui primum decisus est, podagrae dicitur levare circumligatus'. Capillos virium vitaeque florentis symbola nemo nescit qui Euripidem (Alc. 75 sq.) legit. Afferam tantum Verg. Aen. IV 698 sq.:

'nondum illi (Didoni) flavom Proserpina vertice crinem
abstulerat Stygioque caput damnaverat Orco;'

tum Anna (vs. 704):

'dextra crinem secat: omnis et una
dilapsus calor atque in ventos vita recessit.' [1])

Expeditis rebus magicis quibus saga illa in commune uti solebat nunc est dicendum de altera talium rerum serie, quae e natura sive inanima sive animata desumuntur, ut ipsa ea quae Pompeio ostenditur magica actio perficiatur.

Adeamus ergo vs. 667 sqq.:

'Pectora tunc primum ferventi sanguine supplet
volneribus laxata novis.'

Caesus miles est cuius pectora [2]) novis vulneribus patefacta sanguine supplet. Non casu neque fortuito primo loco positum videmus sanguinem, quoniam sanguis habetur pro re ad vivendum maxime necessaria [3]), quo fit, ut cor, quo sanguis confluit, animus ipse nominetur. [4]) Quare mirum non est, quod hominum sanguine hausto manes reviviscere [5]) putaverunt veteres.

---

[1]) Vide diras plumbo inscriptas CIL X 511 'locus capillo ribus expectat caput suum'.

[2]) Vide vs. 750 sq.

[3]) Quam ob rem Od. XI 95 sqq. etiam umbrae priusquam loquantur *αἷμα κελαινόν* (vs. 98) bibunt. vide Cic. Tusc. I 37; Kuhnert, Mus. Rhen. IL 1894 p. 44 adn. 3.

[4]) Cic. Tusc. I 18: 'aliis cor ipsum animus videtur.' vide Serv. V. A. III 67, V 79; Lippert, *Die Relig. d. eur. Culturv.*, Berol. 1881 p. 81, 48 sq.

[5]) Unde ad remedia quoque sumebatur: Plin. h. n. XXVIII 4: 'sanguinem quoque gladiatorum bibunt, ut viventibus poculis, comitiales.' Loewenstimm, l. s. eandem fere rem narrat e libro Mostii, *Sympathetische Mittel* 1842 p. 150, vide etiam H. L. Strack, *Das Blut im Glauben u. Aberglauben der Menschheit*. Monac. 1900 p. 27 et 43; U. Jahn, *Über den Zauber mit Menschenblut und anderen Teilen des menschl. Körpers, Verhandlungen der Berliner Gesellschaft für Anthropologie* XX 1888 p. 130 sqq.

Praeter sanguinem mortuo inicitur 'virus lunare'[1]) quo etiam Medea utitur: 'Addit et exceptas luna pernocte pruinas' (Ov. met. VII 268). Quae res illustratur W. H. Roscheri libro qui inscribitur *Über Selene und Verwandtes, Studien zur griech. Mythologie und Culturgeschichte* IV p. 86 Lips. 1890, quo loco haec fere legimus, creditum esse a veneficis lunae spuma (h. e. rore) vim magicarum herbarum aut effici aut augeri.[2]) Simile quid iam Turnebus VI advers. 10 p. 183 adnotat: 'Ad lunae lumen lectas herbas efficaciores veneficiis credebant, quod lunam veneficiis praeesse censerent, et herbas sua quadam spuma[3]) et saliva inficere'. Vide Stat. Theb. I 106, II 284; Val. Flacc. VI 447, VII 330; Apul. met. I 3.

Sed iam longius procedit actio magica. vs. 670 sq.:

'Huc quidquid fetu genuit natura sinistro
miscetur,'

quem versum scholiasta atque commentatores[4]) recte ita interpretantur ut dicant eum esse intellegendum de foetu quodam portentoso monstrosoque. Etiam R. Fritzsche, quaest. Lucan. 1892 p. 31 interpretatur 'sinistra fetu genita (*Missgeburten*)'. explicantur ea e libro Loewenstimmii l. s. cap. III p. 27—34 (*Ermordung von Missgeburten*).

Accedunt alia vs. 671:

'spuma canum quibus unda timori est'.

De spuma animalium enotavi versum e Lucian. Alex. 53: *κνημίδα χρίεσθαι κέλομαι δροσίην τε κέλητος*, quo equi spuma praecipitur tamquam ad dolorem lateris curandum utilis.

De canibus ad magiam adhibitis videas Riessium, s. v.

---

[1]) VI 669 'virus large lunare ministrat.'

[2]) Roscher, l. s.: *Ferner glaubte man, dass der Mond durch seinen Thau die magische Kraft der Zauberkräuter entweder hervorbringe oder verstärke.* v. *Nachträge* 1895 p. 30.

[3]) C. F. Weber in editione Lucani 1829 vol. II p. 85 ad VI 506 adnotat: 'Spumam lunae vides infra 670 (= 669) in magico instrumento: „et virus large lunare ministrat". Graeci *σεληνιακὴν ἀπόῤῥοιαν* vocant' nullo exemplo addito, quo Graeca illa inveniantur. Vix addere potuit; nemo enim nescit virus lunare longe esse aliud atque *τὴν σεληνιακὴν ἀπόῤῥοιαν*, de qua videas A. Bouché-Leclercq, *l'astrologie grecque* Paris 1899 p. 245 sqq. aliis locis.

[4]) v. ed. Weber III p. 486.

Aberglaube p. 72 sq.; Fritzsche, l. s. p. 30 dicit hoc loco esse intellegendam spumam canum rabidorum. Quod planum est.[1])

vs. 672: 'Viscera — lyncis.'

Ad ea nihil nisi Senec. Med. 733 sq.:

'maestique cor bubonis et raucae strigis
exsecta vivae viscera'

afferre possum. vires arcanas in lyncibus inesse tradit Plinius, n. h. XXVIII 122.

Ad eiusdem versus verba 'durae (Hosius cum codd., *dirae* Grotius) nodus hyaenae' Franckenius adnotat haec: 'Nodus hyaenae est spinae articulus primus, cui fabulosam vim adscribebant. Plin. n. h. XXVIII 99: "hunc spinae (hyaenae) articulum sive nodum Atlantion vocant, est autem primus," de quo miracula in superioribus narraverat'. Franckenio puto esse assentiendum. Commemorem tantum praeterea Prop. III 6, 28: 'lecta exectis anguibus ossa' pro medicamine in amore adhibita, quo amatus trahatur.[2])

vs. 673: 'cervi pastae serpente medullae'.

v. Ov. met. VII 273: 'Vivacisque iecur cervi'. E. Riess, s. v. *Aberglaube* 72, 2 sqq.

vs. 674 sq.:

'puppim retinens euro tendente rudentes
in mediis echeneis aquis'.

Fritzsche l. s. p. 30 confert Ov. Hal. 99 sq.:

'Parva echeneis at est, mirum, mora puppibus ingens,
Tuque, comes ratium tractique per aequora sulci'.

Videas etiam Riessium, l. s. 68, 17 sqq.

vs. 675: 'oculique draconum'.

De oculis animalium magicorum v. Prop. III 15, 16: 'Cornicum immeritas eruit ungue genas'; Pap. Parth. I 223

[1]) Quo iure autem Fritzsche Hor. epod. V 23: 'Et ossa ab ore rapta ieiunae canis' conferat, nescio. Quo loco de re prorsus diversa cogitatur, quam optime illustravit L. Müller, cuius commentarium inspicias; v. supra p. 16.

[2]) vide Rothsteinii commentarium ad hunc locum supra p. 27 adn. 6 exscriptum.

λαβὼν . . . ὀφθαλμὸν (*ὀφθαλμων* P) *νυκτιβαν.* ibid. vs. 285 *ἐπίθυμα λύκου ὀφθαλμός.*

De *δρακόντων* usu mitto te ad indices papyrorum magicarum a Wesselio confectos.

Versui 676:

'Quaeque sonant feta tepefacta sub alite saxa'

nihil novi afferre possum, cum G. Drexler *Wochenschr. f. class. Philol.* XV 1898 p. 977 sq. catalogum locorum quibus Gagatis lapis invenitur confecerit. In universum de lapidibus magicis egit Riessius, s. v. *Aberglaube* 50, 17 sqq.

Fabulosa inter animalia est numerandus (vs. 677):

'Arabum volucer serpens'

quem etiam commemorant Horatius (epod. III 14): 'Serpente fugit (Medea) alite' atque Ovidius (met. VII 218 sqq.) de eadem Medea:

'nec frustra volucrum tractus cervice draconum
currus adest. aderat demissus ab aethere currus.
quo simul ascendit frenataque colla draconum
permulsit . . .'

vs. 677:

'innataque rubris
aequoribus custos pretiosae vipera conchae'

v. Fritzschium, l. s. p. 30: 'Verine simile est, viperam conchae custodem Lucano inde (i. e. e Nigidi libris de animalibus conscriptis) innotuisse?'

Tum adhibetur cerastae pellis (vs. 679):

'viventis adhuc[1]) Libyci membrana cerastae'

v. Ov. met. VII 272: 'squamea Cinyphii tenuis membrana chelydri'.

Neque defuit (v. 680):

'cinis Eoa positi phoenicis in ara'

quo de animali fabulosissimo videas Pomp. Mela III 8; Plin. n. h. X 2 alios.

Denique rerum magicarum catalogus desinit in verba (vs. 681 sqq.):

[1]) v. supra p. 22 vs. 2 *ζῶσαν ἀπόλυσον.*

'Quo postquam viles nec habentis nomina pestis
contulit, infando saturatas carmine frondes,
et, quibus os dirum nascentibus inspuit [1]) herbis,
addidit et quidquid mundo dedit ipsa veneni.'

Corpore mortui rebus magicis, quas modo dispeximus, suppleto v. 685 sqq.:

'vox, Lethaeos [2]) cunctis pollentior herbis [3])
excantare deos, confudit murmura primum
dissona et humanae multum discordia linguae'

quibus versibus exordium uti ita dicam incantamenti videmus. vs. 688 sqq.:

'Latratus habet illa canum gemitusque luporum;
quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur'.

Hosius, l. s. p. 349 dicit trepidum bubonem strigemque nocturnam esse depromptas e Senecae Med. 733, quod verisimile est, tamen non taceam 'plumam . . nocturnae strigis' etiam inveniri apud Horatium (epod. V 20), 'strigis inventae per busta iacentia plumas' apud Propertium (III 6, 29), 'strigis . . . alas' apud Ovidium (met. VII 269).[4])

Versibus 690 sqq.:

'Quod strident ululantque ferae, quod sibilat anguis,
exprimit et planctus inlisae cautibus undae
silvarumque sonum fractaeque tonitrua nubis,
tot rerum vox una fuit. Mox cetera cantu
explicat Haemonio penetratque in Tartara lingua'.

v. Stat. Theb. IV 470 sqq.: 'Tiresias . . . exclamat'; Lucian. necyom. 8 *μάγος ἀνακραγὼν δαίμονάς τ' ὁμοῦ πάντας ἐπεβοᾶτο.* De vi magica vocis clarae v. C. Ausfeld, de Graecorum precationibus quaestiones, Fleckeis. annal. suppl. XXVIII 1903 p. 514.

Cum numina quae vs. 695 sqq. invocantur iam supra p. 10 sqq. suis locis sint allata, non est cur versus iterum ex-

[1]) v. supra p. 35 adn. 8.

[2]) v. Verg. Aen. VI 679 sqq.; reliqua vide supra p. 12.

[3]) Iure Hosius (Fleckeis annal. CXLV 1892 p. 346) contulit Senecae Med. 737 sq.:

'addit venenis verba non illis minus metuenda'.

[4]) v. supra p. 17.

scribam. Eo magis animadvertas formam cantus precationisque magicae.

Vs. 706 sqq. maga orat: 'Exaudite preces', obtestandi formula adhibita:

'si vos satis ore nefando
pollutoque voco, si numquam haec carmina fibris
humanis ieiuna[1]) cano, si pectora plena
saepe deo[2]) lavi calido prosecta cerebro,
si quis, qui[3]) vestris caput extaque lancibus infans[4]),
inposuit, victurus erat',

et iterum rogat: 'parete precanti' (vs. 711).

Habemus pactionis formam, de qua videas C. Ausfeld, l. s. p. 525 sqq.

Tum ad numinum gratiam sibi conciliandam addit haec (vs. 712 sqq.):

'Non in Tartareo latitantem[5]) poscimus antro,
adsuetamque diu tenebris: modo luce fugata
descendentem animam; primo pallentis hiatu
haeret adhuc Orci'

simul addens (vs. 715):

'Licet has exaudiat herbas
ad manes ventura semel',

blandis verbis ad animam[6]) mortui ipsam conversa (vs. 716 sqq.):

'Ducis omina nato
Pompeiana canat nostri modo militis umbra,
si bene de vobis civilia bella merentur'.

At Erichthus preces videntur non exaudiri: moratur umbra

[1]) Quem locum respexisse Statium Theb. IV 511: 'aegras functorum carpere fibras' recte monuit Barthius.

[2]) *deo* cod. V et Francken, *dedi* cod. B et Hosius.

[3]) *quis, qui* Francken cum codd., *quisquis* Hosius.

[4]) v. supra p. 4 sq.

[5]) Ei enim quorum animae Orcum nondum intraverant (Plaut. mostell. 499 sq.: 'Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit, quia praemature vita careo') facilius posse suscitari putabantur. Cuius evocationis exempla praebent Quintilian. decl. X, Apul. met. II 28 sq., Alciphr. II 4 p. 66 Herch., Heliod. Aethiop. VI 14.

[6]) v. supra p. 13 adn. 1.

adstringi corporis vinculis;[1]) iterumque maga summa ira inflammata effundit carmen, quod tam vehementer instruit, ut inferi resistere non audeant.

Furiis[2]) Tisiphone atque Megaera vocatis rogatisque (vs. 730 sqq.):

'Tisiphone, vocisque meae securа Megaera,
non agitis saevis Erebi per inane flagellis
infelicem animam?'

maga etiam minas[3]) addit (vs. 732—744):

'Iam vos ego nomine vero[4])
eliciam, Stygiasque canes in luce superna
destituam, per busta sequar, per funera, cunctis
expellam tumulis, abigam vos omnibus urnis!
Teque deis, ad quos alio procedere voltu
ficta soles, Hecate,[5]) pallenti tabida forma,
ostendam faciemque Erebi mutare vetabo.
Eloquar inmenso terrae sub pondere quae te
contineant, Hennaea, dapes, quo foedere maestum
regem noctis ames, quae te contagia passam
noluerit revocare Ceres. Tibi pessime mundi
arbiter, inmittam ruptis Titana cavernis,
et subito feriere die'.[6])

---

[1]) v. Somnium Scipionis 3 (= Cic. de republic. 14 et 15) et exempla in editione Oudendorpiana allata.

[2]) v. supra p. 14.

[3]) v. vs. 440 sq.: (in Thessalia) 'plurima surgunt | vim factura deis'; vs. 494 sqq.: 'Parere necesse est | an iuvat? ignota tantum pietate merentur, | an tacitis valuere minis?' De minis, quae cum evocationibus morborum e corporibus aegris saepe coniunguntur egit R. Heim (Fleckeis. annal. suppl. XIX 1893 p. 379 sq.).

[4]) v. Pap. Par. vs. 278 *λέγω γάρ σου τὰ ἀληθινὰ ὀνόματα* et quae vir doctissimus magicarum rerum peritissimus Gu. Kroll, *Antiker Volksaberglaube* Mus. Rhen. LII 1897 p. 345 explicuit. Similia leguntur Pap. Par. 871, 244, 251, 1818, 2427; Pap. Parthey I 206 sq., 225 sq., 312. Defix. tab. Attic. praef. p. V, XXXI; Giesebrecht, l. s. p. 88 sq.; Ausfeld, l. s. p. 519 sq.; Wünsch, *Hessische Blätter für Volkskunde* II 1903 p. 93; Dieterich, *Mithrasliturgie* p. 112.

[5]) v. supra p. 10 sq.

[6]) Ov. met. II 260 sq.: 'Dissilit omne solum penetratque in Tartara rimis | lumen'. Haec ex Iliade XX 61 sqq. pendere videntur.

Quae verba per se iam sunt satis clara neque habeo quod adiciam. Habemus coactum deorum, antiquissimum et religionis et magiae genus. De hoc iam vir doctissimus Buresch in libro qui inscribitur Klaros (p. 19 sq.) docuit exponens de vate, qui ab omni tempore invitus[1]) sit locutus. Exempla, quae Bureschius affert, facile augeri possunt. Plura enim collegit F. v. Duhn, *Bemerkungen zur Würzburger Phineusschale, Heidelberger Festschrift zur 36. Philologenversammlung* 1882 p. 121 sq., quibus liceat addere haec: Proteus vinculis tenetur cogiturque a Menelao, ut futura aperiat (Od. IV 459 sqq.):

ἡμεῖς δ' ἀστεμφέως ἔχομεν τετληότι θυμῷ·
ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἀνίαζ' ὁ γέρων ὀλοφώια εἰδώς,
καὶ τότε δή μι' ἐπέεσσιν ἀνειρόμενος προσέειπεν·
'τίς νύ τοι, Ἀτρέος υἱέ, θεῶν συμφράσατο βουλάς,
ὄφρα μ' ἕλοις ἀέκοντα λοχησάμενος; τέο σε χρή;

Fabellam prorsus similem Ovidius Fast. III 291 sqq. de Pico atque Fauno narrat, qui vinculis coguntur. Vinculorum[2]) loco a magis adhibentur formulae, carmina cogentia, *ἐπάναγκοι*[3]), quibus inferorum pertinacia frangitur, quo fit, ut daemones magorum servi evadant. Clem. Alex. Protr. LVIII p. 65 ed. Dindorf: *μάγοι δὲ ἤδη ἀσεβείας τῆς σφῶν αὐτῶν ὑπηρέτας δαίμονας αὐχοῦσιν, οἰκέτας αὐτοὺς ἑαυτοῖς καταγράψαντες, τοὺς καταγναγκασμένους δούλους ταῖς ἐπαοιδαῖς πεποιηκότες.*

Lucani ipsius inspicias verba haec (vs. 445 sq.):

'Una per aetherios exit vox illa recessus
verbaque ad invitum perfert cogentia numen';

ib. 497 sq.:

'an habent haec carmina certum

---

[1]) Ausfeld, l. s. p. 517 formulas collegit, quibus 'non solum petitur, ut veniat, sed etiam deus cogitur'.

[2]) Rohde, *Psyche*[2] II 87 adn. 3: *καταδέσεις κατάδεσμοι* sind die *„Bindungen"*, durch die der Geisterbanner die Unsichtbaren magisch zwingt, seinen Willen zu thun. Stets bedarf es eines Zwanges; denn die Geister kommen ungern . . . das äusserste sind die *βιαστικαὶ ἐπειλαί*, von denen Jamblich de myst. 6, 5 spricht (*τὸ δεινὰ πράξεις κἂν θέλῃς κἂν μὴ θέλῃς* Refrain in dem Zauberhymnus des Pariser Zauberbuches z. 2552 ff.). Addas Lucian. philops. c. 16.

[3]) vide supra p. 36.

imperiosa deum, qui mundum cogere, quidquid
cogitur ipse, potest?';

Sextus Erichthonem orat (vs. 598): 'numina torque', (vs. 601): 'Mortem . . coge fateri', maga respondet (vs. 605 sqq.):

'Si fata minora moveres,
pronum erat, o iuvenis, quos velles . . . in actus
invitos praebere deos'.

Etiam locis quos Bureschius l. s. e papyris magicis affert alii addi possunt inspectis tantummodo indicibus.

Redeamus ad minas versuum 732 sqq. atque contemplemur formam saepius usitatam, quam legimus versibus 744 sq.:

'Paretis? an ille
conpellandus erit . . .'

quibus fastigium tamquam imponitur efficacissimum, quod etiam a papyris magicis videmus adhibitum. Iam vir doctissimus E. Riess, *Zu den Canidiagedichten des Horatius* Mus. Rhen. XLVIII 1893 p. 310 ad versus epod. V 79 sqq. interpretandos attulit Pap. Anastasy vs. 276 W (272 K) sqq.: *κατενεχθήσεταί ὁ πόλος καὶ τὰ δύο ὄρη ἓν ἔσται . . . οὐ μὴ ἐάσω οὔτε θεὸν οὔτε θεὰν χρηματίζειν, ἕως . . . . . .*

